

P E T R I P A V L L I I V S T I

S P E C I M E N

O B S E R V A T I O N V M C R I T I C A R V M ,

I N Q V I B V S

V A R I A V E T E R V M S C R I P T O R V M ,

N E C N O N

I V R I S R O M A N I L O C A E X P L I C A N T V R A V T E M E N D A N T V R .

Cv 288



V I E N N A E ,

T Y P I S I O A N N I S T H O M A E D E T R A T T N E R N ,
S A C . C A E S . R E G . A P O S T . M A I E S T . A V L A E T Y P O G R . E T B I B L I O P .

M D C C L X V .

TRIVIA FAVILLI

SPICIMEN

OBERRATIOMEN CRITICAE

BY GUTHRIE

ALIAS ALFREDUS MCBRIDEORUM

1812

ULS. OMNI. SOC. EGYPT.

1812

ULS. OMNI. SOC. EGYPT.

INDEX CAPITVM.

C A P V T I.

Crassum mendum in Laberii Mimis apud Macrobius nunc primum animadversum et sublatum. De infamia comoedorum disputatur aduersus Macrobius et Rhodiginum, ostenditurque eos Ciceronis aeuo pro turibus habitos.

C A P V T II.

Ciceronis lectio in I. Catilinaria noue explicata, et defensa aduersus Zinzerlingium, Gruterum, et Boubierum. Catilinae vox: aut vincere, aut mori.

C A P V T III.

Restituta inscriptio Canonis 2. Caus. XXX. q. 3. apud Gratianum. Sanctissimi, et ὁσιωτάτε titulus Episcoporum proprius. Ioannes Garnerius notatus. Sanctimonia tua. Honorii Rescriptum emaculatum. Lux Vincentio Larinenfi. Bacchiarii Apologia emendata.

C A P V T IV.

Deprauatus M. Varronis locus post varias Virorum doctorum coniecturas demeo tentatus et emendatus. Herba dura. Aulus Gellius emendatus. Ifidori Glossae restitutae. Callitio. Thomas Reinesius notatus. Rusticorum callosae manus.

C A P V T V.

Orosius insigni loco ex ingenio restitutus. Europa et Asia pulcherrimae orbis partes. Virgilio lux. Orosius iterum emendatus. Sigeb. Hauer campus V. C. laudatus, idemque notatus.

C A P V T VI.

Ouidius defensus aduersus Gebbardum, et utrumque Heinsum. Credis? Leuiter adiutus Lucanus. Nec non Catalecta. Tentata emendatio in versibus Porcii Licinii apud Aulum Gellium. Is notatus. Vnde ii versus defunti sint, indicatum.

C A P V T VII.

C. Barthii laus. Isidori Differentiae. Eae loco deprauatissimo restitutas. Aquata. Merata. Obsruata quaedam de mixtis veterum potionibus. Laetentia coacla. Lucilius defensus. Douza uterque notatus. Potus seruorum.

C A P V T VIII.

Herennii Modestini I. C. fragmentum ex libris Differentiarum erutum, et illustratum. Aug. Bachius V. C. laudatus. Deportatis asperrimae et pestilentissimae insulæ attributae. Quare non licet ultra annum in Oafin relegare. Explicata L. 7. §. 5. π. de interd. et releg. Christopherus Cellarius notatus. De Oafi adnotata quaedam.

C A P V T IX.

Cornelius Tacitus emendatus. Sibi iniungere, sibi interdicere. Vetus inscriptione obiter correcta. Iurisconfulti amici principis vocati. Alius Taciti locus expositus.

C A P V T X.

Coniectura de corrupto Auli Gellii loco. Hermannus Cannegieter V. C. sepositus. Helius Melissus τεχνικός. Videtur in Ciceronis Philippicas commentatus. Caspar Barthius, et Petrus Burmannus reprobens. Seruius emendatus.

C A P V T XI.

Vetus Scholiales Virgilii a Barthio editus insigni loco emendatus. Granii Flacci fragmentum ex libro de Iure Papyriano nunc primum erutum. De Granio quaedam. Videtur antique locutus. Godofr. Olearius notatus. Casanboni coniectura probata. Harduini reiecta. Iurisurandi religio apud Romanos non primum a XII. Tabulis repetenda, ut haec tenus creditum, sed ex moribus temporum regiorum. Superi Dii in iuramento inferis praelati. Scholiales illustratus. Viri docti plagi. Elias Vinetus notatus. Seruius defensus. Viri docti error castigatus. De auctoritate Enchiridii Pomponiani. Non nemini commentum explosum. Coniectura in Junio Philargyro. Barthius et Vossius sepositi. In Feslo lacuna detecta. Idem Philargyrus defensus, et explicatus. Barthii lapsus. De eiusdem libris Aduersariorum ineditis.

C A P V T XII.

Auctor anonymous veteris elegiae emendatus. Tonitru de crepitu ventris. Tonitru de verbis. Aldbelmus aduersus emendationem I. Friderici Grononii V. C. vindicatus.

CA-



C A P V T XIII.

M. Terentii Varronis Fragmentum restitutum, nouaque luce perfusum. Regius temporibus parua delubra. Phil. Rubenius notatus. Iustus Ryquijs refutatus. De Varronianis Fragmentis. LANI CASPERII V. Cl. meritissimum encomium.

C A P V T XIV.

Minucius Felix post virorum doctorum conatus restitutus. Solatia malorum rediuiua quid Minucio? Petrus Rigenfis emendatus. Transfigi vulnere.

C A P V T XV.

Desperatus Manilius locus de luxu romanarum mulierum emendatus, atque explicatus. Casp. Genuartii absurdaria emendatio, et explicatio explosa. Cypriano lux. Defensa lectio Pauli in L. 3. π. de suppelli. leg. Imperium. Iacobus Cuiccius, et Iosephus Scaliger notati. De auro scutilo If. Pontani, et Tb. Dempsteri error. Vulgata lectio apud Iuuenalem ab eorum vi critica defensā. Scriptum aurum. Grammaticus vetus Barthii emendatus.

C A P V T XVI.

Horatius loco insigni emendatus et explicatus, Interpretibus sepositis. De Horatianis Interpretibus iudicium.

C A P V T XVII.

Viri celeber. Ludouici Ant. Muratorii vera laus. Idem bis reprehensus. AVLA pro coelo. Heinsius defensus.

C A P V T XVIII.

Restituta L. 10. §. 4. π. de usu, et habit. Longe longeque. Mendum ex L. 3. C. de quadrig. praescript. sublatum. Io. Sarisberiensis obiter emendatus. Africianus in L. 88. π. ad leg. Falcid. illustratus. Dialectici. Dialectici Platonici. Tortiloquium. Halmus notatus. PAVLLVS Ios. RIEGGERVS et CAR. MARTINI VV. CC. laudati. Stephanardi summa Iuris ciuilis. GEORG. GUILINI V. Cl. meritissimum encomium.

C A P V T XIX.

Auctor carminis obscoeni explicatus, et ab emendatione Scriueri, et Gevarri vindicatus. Conueniens Latio supercilium. Romanus pudor. Italica feueritas. Romane dicere. Hispane dicere. Ennius expofitus. Valerius Maximus difficulti loco explicatus. Adiutor noue pro competitorre.

C A P V T XX.

Charissus emendatus aliter, ac a Scaligero, Douza, et Scipione Gentili factum fuerat. E plenior littera.

C A P V T XXI.

Vulgata lectio fragmenti Ciceroniani asserta. Jacobus Menardus notatus. Quid sit volubilis oratio, adcurius inquisitum. Graecorum volubilitas. πτερης λόγος, volucris oratio. Iuuencius explicatus, et defensus aduersus Barthium. Suppressum vocis. Sedulus correctus. Fictum. Emendata lex 47. π. de Ritu Nupt. Foedum pro foeditate. Passerius reprobans. Cicero rursus defensus. Orationes alii ab aliis conscriptae. Cicero bis emendatus.

C A P V T XXII.

Calpurnius emendatus. Iulii Obsequientis vulgata lectio defensa aduersus Freinsheimium, Schefferum, Heinsum, Oudendorphum. Togae pro Togatis. Phaedri locus ex Philemone expressus. A Trillero discessum. Eiusdem grauis lapsus. Lucani admiratores reprobans. Virgilii ex Niceta illustratus. μηλοσειρ. Amores ridentes effimabantur.

C A P V T XXIII.

Quatuor doctorum Virorum in historia Juris litteraria errores notati. IANVS CASPERIUS V. Cl. laudatus.

C A P V T XXIV.

Cornelius Fronto post Iustum Rycquium emendatus. Piaculum. Ablutio trina, septenaria.

C A P V T XXV.


Suetonii locus illustratus. Notatum singulare quorundam principum ingenium, Philippi Macedonis, Caligulae, Neronis. Rex. Sulpitiae Satira emendata. Asinus, Capra, Hircus, Vrsus inter conuicia. A Barthio discessum. Idori Glosse insigni loco restitutae. Reinesius sepositus. Δαστικ. δίστοιχος. Dasus. Trillerus V. Cl. laudatus.

C A P V T XXVI.

De Tulliana diuinitate aduersus Petrum Petitum dissertatio. Chrift. A. Klotzius V. Cl. laudatus. Cicero explicatus. Petiti incredibilis supinitas. Philippi Presbyteri locus restitutus. Nouella Theodosii et Valentiniiani illustrata. Ab Rittershusio discessum. De Philosophia Ciceronis. Albericus Gentilis notatus. Petitus iterum reprobans. Ciceronis inconstans de propriis scriptis iudicium. Def. Erasmi et Paulli Colomesii deliria. De Erasmi religione quaedam. Muratorius castigatus.

PETRI





PETRI PAVLLI IVSTI
SPECIMEN
OBSERVATIONUM CRITICARVM.

CAPUT I.

Crassum mendum in Laberii Minis apud Macrobius nunc primum animaduersum et sublatum. De infamia comoedorum disputatur aduersus Macrobius, et Rhodiginum, ostenditurque eos Ciceronis aeuo pro turpibus habitos.



Q uam multa in iis etiam Scriptoribus, qui omnium manus versantur, corrupta reperiuntur, quae tamen emendatissima putantur! „ excludat merito Tanaq. Faber Epist. Critic. Lib. I. Ep. 57. p. 197. Nemo est, qui non legerit, nemo, qui non admiretur elegantissimos illos, & germanum Latii saporem praeserentes Laberii versus, Justi Obs. Crit.

A

quos

quos e Gellii codicibus hodie exulantes seruauit nobis diligens huius exscriptor Macrobius. Et tamen eorum nemo exstantissimum in illis mendum est odoratus. Quam maculam tam nitido poematio diutius inhaerere non paifar. Leguntur, vt dixi, apud Macrobius Lib. II. Saturn. Cap. 7. pag. 240. edit. Iac. Gronouii. Lubet ex illis complu- sculos adponere:

Ergo bis tricenis annis aetis sine nota
 Eques romanus lare egressus meo
 Domum reuertar mimus. Nimirum hoc die
 Vno plus vixi, mihi quam viuendum fuit.
 Fortuna immoderata in bono aequa, atque in malo,
 Si tibi erat libitum litterarum laudibus
 Floris cacumen nostrae famae frangere :
 Cur, quum vigebam membris praeuiridantibus,
 Satisfacere populo, et tali quum poteram viro,
 Non flexibilem me concuruasti, vt carperes ?

Sic editum est in praestantissima editione, quae cum integris Pontani, Meursii, et Gronouii notis prodiit Londini an. 1694. in forma octava maiore. Sic in Aldina anni 1528. Sic in postrema a Cl. Vulpio Patauii curata : sic denique in omnibus omnino Macrobi editionibus. Sed quid est, quod ait :

Si tibi erat libitum litterarum laudibus
 Floris cacumen nostrae famae frangere ?

Tuam fidem, lector! cui vnquam mortalium exauditum est, litterarum laudes frangere famam ? quum potissima ad laudem via sint litterae, ipsis poetis testibus ? Ipsa vero dictio quam impedita est, et aurea Laberii facilitate indigna ? Quid igitur supereft, nisi vt dicamus foedam labem a flagitiosa librarii manu illatam Laberio ? Vna littera est, quae huius loci fententiam conturbat, et inuerit : neque enim dubitandum, quin scripferit Laberius :

Si tibi erat libitum litterarum laudibus
 Florens cacumen nostrae famae frangere.

Sensu liquidissimo et verissimo. Hoc enim dicit : O fortuna, si tibi erat libitum hac infamia, quae in scenam descendentibus inhaeret, frangere cacumen nostrae famae florens laudibus litterarum: cur non id in iuu-

ta

ta mea fecisti, dum populo, et tanto viro poteram satisfacere? Hucusque enim Laberius, scriptor mimorum clarissimus, litterarum laudibus, mimis puta conscribendis, quam maxime floruerat. *Florere autem litteraris, amicitiis*, et similia latinissimae locutiones sunt, vt nemo ignorat. Mendum natum ex compendio liquidae, et mutatione sollempni τὰ εἰναὶ. Sed quod ad hanc rem spectat, examinanda hic se nobis offert quaedam Macrobiī sententia. Non longe abiero. Hoc eodem Libro Cap. X. p. 251. et 252. conatur ostendere, Ciceronis aevo histriones non fuisse inter turpes habitos. Probat hoc ex Roscio, qui summorum tunc in republica virorum amicitiis floruit, quo Cicero familiarissime usus, qui mercedem diurnam de publico mille denarios acceperit. Probat deinde ex Aesopo, qui ducenties festertium reliquissim filio fertur. Denique probat ex eo, quod viri quoque nobilissimi bene saltandi peritiam summae gloriae loco habuerint. Haec summa argumentorum Macrobiī. Eam sententiam arripuit, integrumque Macrobiī locum transcripsit Lud. Coel. Rhodiginus Lib. XIV. *Antiquarum Lectionum* Cap. 17. p. m. 764. reiecta simul Gellii sententia, qui contrarium ostendit ex Aristotele. Ego vero, vt hac de re addubitem, non leuibus momentis inducor. Primum enim facile Macrobiō ac Rhodigino responderi potest. Nam quod Syliae, quod Ciceroni, quod toti vrbi gratus, acceptusque erat Roscius, hoc inde factum est, quod optimus et excellentissimus esset histrio: histrio tamen erat. Potuit, fateor, huius vel illius histronis peritia efficerre, vt populo carus haberetur, et notam illam, quae vitae scenicae inhaeret, quod se spectat, quodammodo eluere: at nullo pacto inde confici potest, ipsum histronis munus non fuisse turpe existimatū. Praeterea in Roscio erat singularis probitas, atque vitae, morumque honestas, qua omnes in sui amorem alliciebat. At, inquiunt, Roscius et Aesopus tot millia lucrabantur ex quaestu. Quid inde? siquidem, quo quis excellentior est in arte sua, eo etiam plus quaestus habet, ars tamen idcirco nihilo nobilior euadit. Quis nescit Romanorum hac in re profusissimam luxuriam? quam portentosum illud, quod de Dionysia saltatrice memoriae proditum est, eam cccccc cccccc cccccc annui quaestus habuisse? Plura huiusmodi humanam fere fidem superantia vide apud Lipsium de Magnit. Rom. Lib. II. c. 11. p. 407. seq. Tom. III. Opp. et Iac. Menardum in praefatione ad suos Commentarios in Cic. Orat. pro Roscio Comoed. p. 37. Postremo loco quod Macrobius sententiae suae ex eo patrocinium quaerit, quod viri nobilissimi pro summa gloria duxerint, inque deliciis habuerint saltationem, plane ad rem nī-

hil pertinet. Quemadmodum enim arenam gladiatorium honestam fuisse, et minime infamem, perperam colligas exinde, quod equites, senatoresque Romani passim illa se polluerint: vid. Lipsium Lib. II. *Saturnal.* c. 3. ita non minus absurde histriionam ab infamiae macula absolue eo, quod illam viri principes atque triumphales affectauerint. Sed Macrobius, Rhodiginumque plane confudit apertum Ciceronis ipsius testimonium de hoc ipso Roscio in Orat. pro Quint. c. 25. p. 93. sic enim ait: *etenim, quem artifex eiusmodi sit, ut solus dignus videatur esse, qui in scena spectetur; tum vir eiusmodi est, ut solus dignus videatur, qui eo non accedat.* Quae profecto verba quid aliud significant, quam gratum fuisse Roscium ob peritiam, probitatemque; eius vero munus turpe, atque ignominiosum fuisse existimat? Et sic hunc locum iam pridem exposuit, eoque usus est ad histriionam deprimendam Augustinus, vti annotauit Heineccius ad Leg. Pap. Popp. Lib. II. c. 1. p. 123. et ante illum Hotomanus ad Cic. pro Rosci. Comoed. p. 242. Adhaec multa sunt testimonia, e quibus elucet, Ciceronis aeuo histriionam fuisse infamem. Nota sunt loca Ciceronis ipsius apud Augustinum Lib. II. *de Ciuit. Dei* c. 13. Cornelii Nepotis in *Praefat.* et aliorum. Quod etiam totus ille prologus Laberii ab ipsomet Macrobo relatus manifestissime comprobatur. Quid enim clarius illis verbis, prout a nobis restituta sunt:

Si tibi erat libitum litterarum laudibus
Florens cacumen nostrae famae frangere?

Quin ipsum Praetoris Edictum, quod refertur in L. I. π. de his, qui notant. *infam.* Ciceronis aetate antiquius est, ut etiam vedit Heineccius *Antiq. Rom.* Tom. II. p. 145. Iuuabit hic conferre, quae de contemptu artis ludicrae apud Romanos historice commentatur idem virus summus in *Comment. ad Leg. Pap. Popp. Lib. II. c. 1. p. 123. 124.* Quare verissime, et prudentissime Gellius auctoritate Aristotelis artifices scenicos tanquam turpissimos notat Lib. XX. c. 4. eo, quod nullum sit vitiorum genus, quo se non polluerint.



C A P V T III.

Ciceronis lectione in I Catilinaria nonne explicata, et defensa aduersus Zinzerlinum, Gruterum, et Bouhierium. Catilinae vox: aut vincere, aut mori.

M*ajor tantum se torfisse viros doctos in hoc loco Ciceronis in Catil.* Orat. I. c. 8. p. 630. edit. Graeu. *Quae quum ita sint, Catilina, dubitas, si emori aequo animo non potes, abire in alias terras, et vitam istam multis suppliciis iustis, debitisque erexitam fugac, solitudinique mandare?* Zinzerlingius Crit. Iuuenil. c. 48. p. m. 151. et Gruterus ad hunc locum emendant ex Codd. *si sic morari.* Clarissimus Graeuius ex Codicum antiquiorum consensu retinet τὸ emori; sed nec ipse recte accepit. Postremo Bouhierius vir doctissimus nullo modo hanc lectionem ferri posse confidenter pronuntiat in notis ad Catilinarias p. m. 324. Omnes a vero aberrasse videntur. Respicit procul dubio orationem a Catilina habitam ad suos, quae exstat apud Sallustium coetaneum, et grauissimum scriptorem. Catilina, postquam coniuratis malâ, quibus premerentur, repraesentauit, ita eos affatur c. 20. Belli Catil. p. 193. et 194. Tom. I. edit. Havercamp. *Quae quoisque tandem patiemini, o fortissimi viri?* Nonne emori per virtutem praestat, quam vitam miseram, atque in honestam, ubi alienae superbiae ludibrio fueritis, per decus amittere? Cicero, qui omnia, quae illa nocte in eo conuentu disseruit Catilina, comperta habuit, vt videre est ex cap. 4. ead. Orat. amare fugillat Catilinam, quod quum aut victoriam, aut honestam mortem tanto hiatu sibi proposuisset, nihil horum effecisset, nihilque ei restaret praeter supplicii dedecus. At, o Catilina, inquit Cicero, hoc tamen tibi Consul concedimus, vt, quando tibi ad illam, quam iactas, honestam mortem obeundam vires desunt, animique, non ideo statim supplicio subiiciaris; sed fugae facimus copiam, cuius ope vitam istam multis suppliciis iustis, debitisque eripias. Haec est, ni fallor, huius loci sententia. Quod Catilina emori per virtutem, Cicero dicit emori aequo a-

nimo. Quod enim Bouhierius alteri illi lectioni praesidium quaerit ex eo, quod τὸ aequo animo melius iungatur τῷ morari, quam τῷ emori: nolle excidisset tanto viro; quum aequus animus non alias sit, quam tranquillus, et aequo animo mori sit imperterrit mori, et quod Flaccus ait de Paullo, prodigum esse animae. Adi, si lubet, Dionysium Lambinum in absolutissimis Commentariis ad Horatium Tom. I. p. 97. edit. Wechsel. Sed ad rem. Praestit tamen fortiter, quod professus est, Catilina, de quo Velleius Lib. II. p. 37. edit. Lips. At Catilina non segnius nota (Lipsius mota vel vota: neutrum placet.) obiit, quam sceleris conandi consilia iniicerit; quippe fortissime dimicans, quem spiritum supplicio debuerat, praelio reddidit. Iam satis, opinor, quae fit Ciceronis mens, aperuisse videor. Accedat tamen auctoritas antiquae declamationis, quae Porcio Latroni tribui solet, quae non leue sententiae nostrae pondus est adiecitura. Sic igitur ibi legitur cap. 10. p. 230. Tom. II. Cum hic itaque secum repeteret memoria misérandam ignominiam comitiorum, turpesque angustias rei familiaris: simulque intueretur, vel sibi viuendum, ac moriendum fore cum turpitudine summa, vel senatum nullum esse oportere; de ratione tollendi ipsius primum cogitare coepit. Ex haec tenus obseruatis facile patet, nequaquam aufculandum esse Ciacconio, qui apud Sallustium cit. loc. pro emori corrigit mori. Ceterum vox illa Catilinae aliis etiam solemnis: Pallanti, Turno, Mezentio apud Virgilium; Tydeo apud Statium, aliis. Vide Iustum Zinzerlingum Crit. Iuuenil. C. 8. p. 25. seqq. Quin et in proverbiu[m] abiit. Erasmus Adag. p. DLXXXVIII. B.



CA-

C A P V T III.

Restituta inscriptio Canonis 2. Cauf. XXX. q. 3. apud Gratianum. Sanctissimi et ὁσιωτάτε titulus Episcoporum proprius. Ioannes Garnerius notatus. Sanctimonia tua. Honorii Rescriptum emaculatum. Lux Vincentio Lirinenſi. Bacchiarii apologia emendata.

Apud Gratianum sic habet in Libris vulgatis inscriptio canonis 2.
cauf. XXX. q. 3. Item Zacharias Episcopus, seruus seruorum
Dei, Reuerendissimo Theodoro Episcopo ecclesiae Ticinensis. Ve-
teres membranae manu exaratae, quae ad nostras manus peruenierunt,
vno vocabulo auctiorem dant hoc modo : Item Zacharias Episcopus ser-
uus seruorum Dei Reuerendissimo, Sanctissimo Theodoro Episcopo ecclesiae
Ticinensis. Quod omnino genuinum est, et Gratiano restituendum. In
veteri enim ecclesia, dum Episcoporum auctoritas integra maneret ad-
huc, et intacta, Sanctissimi titulus Episcoporum erat proprius. Demon-
stravit hoc prolatis mutuis Hieronymi et Augustini litteris Italorum iuris-
consultorum decus Guido Panzirollus in *Theſ. Var. Lect. Lib. I. c. 1.* id-
que et nos pluribus oftensum ibimus. Epistola Gregorii I. Papae ad Ethe-
rium Arelatensem commendatitia Augustini in Angliam proficiscentis
cum hac inscriptione refertur a Beda *Lib. I. Hisl. c. 25.* Reuerendissimo
et Sanctissimo Fratri Etherio Coepiscopo Gregorius seruus seruorum Dei.
Symmachus Papa in Epistola ad Theodorum Episcopum Lauriacensem
apud Goldastum in *Append. Monum. ad Hisl. Bohem. scripta A. 501.*
Symmachus Sanctae Apostolicae Sedis gratia Dei Episcopus Reuerendissimo
et Sanctissimo Theodoro sanctae Lauriacensis ecclesiae Archiepiscopo. In
Libro diurno Romanorum Pontificum C. I. Tit. IX. vbi refertur formula
inscriptionis ad Archiepiscopum Rauennae p. 8. sic legitur : *superſcriptio :*
Reuerendissimo, et Sanctissimo Fratri illi. Coepiscopo illi. seruus seruorum
Dei: et *ſubſcriptio eius :* Deus te in colum nem custodiat Reuerendissime et San-
ctissime Frater. Falli videtur ad hunc locum p. 9. Ioannes Garnerius S.J.
qui

qui egregios Commentarios in Librum Diurnum conscripsit, dum has denominaciones tribuit „ miserabili conditioni temporum, quibus adulatio- „ ri prudentiae fuit, et de rigore Sancti Gregorii nonnihil remittere oe- „ conomicae necessitatis. „ Nam, vt dixi, hic titulus proprius erat Episcoporum, etiam extra Rauennatensem Archiepiscopatum, extra il- la tempora, ipsis pontificibus scribentibus. Gregorius ecce II. a. 714. Gregorius III. a. 731. ad Bonifacium Episcopum scribentes Reuerendissi- mi et *Sanctissimi* titulo eum decorarunt, vt videre est apud ipsum Gar- nerium in appendice ad notas p. 215. De adpellatione *Sanctissimi* per- tinet hoc ex eodem *Libro Diurno* C. II. Tit. IV. p. 26. Tit. V. p. 29. et 30. et alibi saepius. Tum vero frequens id est in Nouellis Iustiniani, ex qua- rum etiam inscriptionibus Nou. 3. 6. 7. aliisque datur discere, Patriarchae Constantinopolitani titulum fuisse *sanctissimus et beatissimus*. Quin et apud Graecos idem titulus, nempe ὁσιώτατος usurpatus. Firmus Episcopus Cae- fareensis, scribens ad Atticum Episcopum, epistolam XIII. earum, quas cel. Muratorius vulgauit in *Anecdotois Graecis* p. 293. sic orditur: ἀριστέδην ἔνθα τὸν παλαιὸν, ὁσιώτατε. Hinc *Sanctitatis* titulo ornabantur Episco- pi, cuius rei exempla passim sunt obvia. Ut e. g. apud Gratianum Can. 1. Dist. XXXIV. et in Epistola Altmanni Episcopi ad B. Adalberonem apud Pezium *Script. Rer. Austr.* Tom. II. p. 14. nec non bis in Rescri- pto Honorii Imperatoris aduersus Pelagium, et Celestium, ad Aurelium Episcopum Chartag. apud Baluzium in *append. manus. Veter.* subiecta notis in Saluanum p. m. 376. adde eundem Baluzium in notis p. 327. sic et apud Graecos. Firmus supra laudatus ad Theodotum Episcopum Epist. XXII. p. 302. τῇ ὁσιότητι σε. et Epist. XLI. p. 318. ἡ ὁσιώτης σε. Pro eo et *Sanctimoniae* titulus in vsu. In eodem Honorii Rescri- pto: Religio itaque tua competentibus scriptis uniuersis faciat admoneri, scituros definitione Sanctimonii tui hanc sibi definitionem esse praescriptam. Corrupta haec verba existimo, atque *Sanctimoniae* tuae corrigendum. Saluanus Epist. III. p. m. 172. ad Agraeicum Episcopum: si excusare inofficiositatem meam apud Sanctimoniam tuam cupiam. Si quis tamen vulgata lectionem seruare malit, non omnino repugnabo. Reperio enim *Sanctimonium* et *Sanctimoniam* promiscue usurpata. Glossarium Philoxeni p. 164. ed. Labb. *Sanctimonium*, ἄγιοις, ἄγιασμος, ἄγιεια. Plane vt supra: *Sanctimonia*, ὁσιότης, σεβασμότης, ἄγιοις. Hinc *San- cliti* pro Episcopis. Ita videtur accipiens Vincentius Lirinenensis Commo- nit. p. m. 278. Atque hoc ipsum idcirco praemonui, vt si forte elapsum nobis (commonitorium) in manus Sanctorum deuenerit, nihil in eo te- mere

mere reprobant. Nam librorum censura ad Episcopos pertinebat, vt patet ex his Bacchiarii verbis, quae subiiciam ex eius Apologia edita a Muratorio Tom. II. Anecdotorum p. 25. Et cum haec Deo teste ita, vt scribimus, sentiamus, tamen non sic nobis de veritate blandimur, vt, si forte sacerdotes sine doctores, qui sunt capita populi, et columnae Ecclesiarum, quodlibet ex his, quae professi sumus, probantes aliquid rectius quid dixerint, pigri sumus in eorum sententiam transire, praeceptumque meminimus scriptum: interrogate Patres vestros, et dicent vobis. Neque enim tam stulti sumus, vt, quibus capita pro sanctificatione submittimus, his corda nostra humiliare nolimus. Quo tamen loco mendo manifestario scatent illa: quodlibet ex his, quae professi sumus, probantes aliquid rectius quid dixerint. Quomodo enim, si probant, rectius dicent? Facile est emendare: quodlibet ex his, quae professi sumus, reprobantes, aliquid rectius dixerint. Mirum est, id non animaduertisse Cl. Muratorium. Idem saeculo XII. in Ecclesia suisse obseruatum, appareat ex Vita Abelardi Lib. II. p. m. 129. seqq. Ad rem propositam vt redeam, earum denominationum ratio pertenda a summa veneratione, quam primituiae Ecclesiae Episcopi vitae sanctitate sibi comparauerant. B. Hieronymus in c. 8. Eccles. Et hoc itaque vanum est, quia non vt egerunt, sic audiunt (Episcopi) nec statim corripiuntur in peccato suo. Nemo quippe audet accusare maiorem. Propterea quasi sancti, et beati in praecepsis domini ambulantes augent peccata peccatis. Quid, quod Episcopi interdum et Dii adpellati sint? vt pluribus docuit Cl. Barthius aduers. Lib. XIX. c. 3. p. 941. Etsi vero Sancti et Sanctorissimi titulus Pontifici Romano in antiqua Ecclesia cum aliis Episcopis esset communis, progressu tamen temporis solus ille sibi vindicauit. Vide Goldastum notis ad Eginhartum de Vita Caroli M. p. 214. edit. Schnink. Ceterum Gratianum quod adtinet, optandum esset, vt exitum habuisset id, quod memorat V. Cl. Petrus de Ludewig in Vita Iustiniani pag. 33. vbi suum Juris Canonici codicem describens ait: Ideoque Pithoeanae editionis supereft grande spicilegium: quod qui colligere velit, ei membranas meas offero, pollicorque liberaliter et indulgenter.



C A P V T IV.

Deprauatus M. Varronis locus post varias Virorum doctorum coniecturas de-
mio tentatus et emendatus. Herba dura. A. Gellius emendatus.
Iſidori glossae restitutae. Callitio. Thomas Reinesius notatus. Ru-
ſicorum calloſae manus.

Crucem fixit Viris doctissimis sequens Varronis locus ex Lib. I. de Re Rustica cap. 47. p. 212. Tom. I. edit. Gesn. Herbaeque elidenda, et dum tenerae sunt, vellenda, prius enim aridae factae, rixantur, et celerius rumpuntur, quam sequuntur. Hic deprauata esse illa aridae factae, satis, puto, per se patet, et a doctissimis Commentatoribus abunde fuit demonstratum. Quorum alii, vt locum integrati suae restituerent, adultae, alii adoleſ. legunt, satis quidem ingenioſe, sed a vulgata ſcriptura longius paulo recedentes. Post illos clariffimus et eruditissimus Trillerus locum hunc emendare aggressus est, atque ex Ouidio de Remed. Amor. 83. seqq. pro aridae factae, legebat validae factae, Obſeru. Crit. Lib. IV. c. 27. p. 467. cui ingeniosissimae emendationi calculum qualemcunque nostrum adiicerem lubentissime, niſi loco adtentius perspecto altius hic latere mendum ſufpicarer: Quid enim hic illud prius? quod orationem potius implicat, non adiuuat: vnde et in variis editionibus omittitur, et pro prius enim, legitur: nam aridae factae. Quare quid aliud excogitandum eſt, vt Varro priftino nitor redatur. Si quid coniectura adsequi poſſum, legendum videtur: Herbaeque elidenda, et dum tenerae sunt, vellenda: nam durae factae rixantur, et celerius rumpuntur, quam ſequuntur. Facile τὸ durae tranſire potuit in aridae, per metathesin nempe, ſive transpositionem litterarum. Fundus emendationis noſtræ in M. Catone, cuius locum prae oculis habuiſſe videtur Varro, quum ea ſcriberet. Verba Catonis de Re Rustica c. 48. vbi eadem plane tractat de modo, et conſeruatione ſato-rum: Simul ac herbae inceperint naſci, eximo: nam ſi herbam duram vel-les, cupreſſos ſimul euelles. Ouum ouo non eſt tam ſimile, quam haec duo loca

loca sibi inuicem respondent. Quin ipse Varro ita legendum esse suadet. Quum enim ait: *dum tenerae sunt, vellendae*, nonne opponit teneras duris? Duram antem herbam interpretor, quae adolescendo firmatur, robora-
tur, et fere lignea fit. *Durities et durare* propria sunt arborum, vt obseruat Vossius *Etymol.* p. 219. Vnde vitis rami *duramina* Columellae
v. 22. et aliis. Hinc *durare* pro obfirmare. Qua de re consulendi Dionys.
Lambinus ad Horat. Tom. II. p. 50. seqq. Salmasius ad *Solin.* p. 245.
D. et Lindenbrogius ad *Pedonem* p. 41. edit. Cler. Hinc metaphoram vi-
detur duxisse Quintilianus Lib. I. Inſt. c. 3. quum ait: *frangas enim citius,*
quam corrigas, quae in prauum induruerunt. Quibus verbis ad vetus ali-
quod adagium respicere Quintilianum, dudum est, ex quo obseruai.
Ipsum autem adagium reperi apud Menandrum in *Comparatione Menandri*
et *Pbilistonis* a Rutgersio ex V. C. edita IV. *Var. Lect.* 12. vers. 214.
cuius sententia est Rutgersio interprete: *corrigeretur curuum furculum ne tentato.* Ex his medicinam facimus corrupto Gellii loco, in quo frustra fue-
runt Stephanus, Oisilius, et Gronouius. Verba sunt *Noct. Att. Lib.*
XIX. c. 12. p. 856. *Videt forte vicinum rubos late, atque alte obortas ex-*
cidentem, fraxinos ad summum prope verticem deputantem, suboles vitium
e radicibus caudicum super terras fusas reuelantem, stolones in pomis, aut
in oleis proceros, atque decretos amputantem. Quin illud *decretos deprauatum* sit, nemini dubium esse potest: Vnde varii varia comminiscuntur.
At nobis legendum videtur: *stolones in pomis, aut in oleis proceros atque*
duratos amputantem. Opponit suboles vitium stolonibus: illas, utpote
tenellas, manu tantum reuellit agricola; hos vero iam proceros, robu-
stos, firmos, verbo, *duratos*, falce computat. Plane vti Ouidius septi-
mo *Metamorphosew*:

— — Et plantas partim radice reuellit,
Partim succidit curuamine falcis ahenae.

Est etiam locus in Isidori *Glossis*, vbi id verbi videtur restituendū. Legitur in iis: *Calcitio, rusticus, eo quod durare calcet.* Haec manifesto corrupta sunt. Infelicem in hoc loco emendando operam posuit vir celeberrimus Thomas Reinesius *Var. Lect. Lib. II. c. 14. p. 241.* ait enim „ legendum, quod dure calcet. Hoc enim moribus inconditis, „ et corporibus immanibus rusticorum respondet. „ Verum abundet ille iudicio suo: me quod attinet, lego: *Callitio, rusticus, eo quod durat, et callet.* Rusticorum proprium est *durare*, et *callere*. Confer Salmasium ad *Solinum* loco supra citato. Vnde *duri agrestes, duri agricultae* apud Vir-

gilium, et dura messorum ilia apud Horatium, et pastor durus apud Iuuen. Sat. XI. Illorum vero manus callosae. Auctor Paneg. ad Pison. V. 17.

Humida callosa cum pinseret hordea dextra.

Et nota historia rustici illius, qui veneficii accusatus, eo quod vberiorem, laetioremque semper messem haberet vicinis, coram iudice manus ostendens callosas, exclamauit: *Haec, Quirites, veneficia mea sunt.* Hinc Tibullus Lib. II. Eleg. 3.

Agricolaeque modo curuum fe&tarer aratrum,

Dum subigunt steriles arua ferenda boves.

Nec quererer, quod sol graciles exureret artus,

Laederet aut teneras pustula rupta manus.

Pustulae enim sunt iis, qui operi faciendo nondum occalluerunt. Calli etiam *Plemina* dicuntur, si fides Grammatico veteri apud Barthium aduers. p. 1693. *Plemina* sunt, cum in manibus et pedibus collafis (lege: callofis) sulci sunt. τύλαι Graecis dicuntur, prout ex Hefychio docet Cl. Trillerus II. Obj. 23. p. 139. Neque aliter accipiendae *durae manus* apud Iuuenal. Sat. VI. et Propert. Lib. IV. Eleg. 10. Allusit eleganter Optatus Lib. VII. de schism. Donat. p. 103. edit. Du-Pin: *Oleum enim simplex est; et nomen suum unum, et proprium habet: confessum iam Chrisma vocatur, in quo est suauitas, quae cutem conscientiae mollit, exclusa duritia peccatorum.*



CA-

C A P V T V.


Orosius insigni loco ex ingenio restitutus. Europa, et Asia pulcherrimae orbis partes. Virgilio Lux. Orosius iterum emendatus. Sigeb. Hauercampus V. C. laudatus, idemque notatus.

Inter reliquos Bataiae litteratae praestantissimos viros de antiquis scriptoribus latinis pulcherrimum in modum meritus est Sigebertus Hauercampus V. C. qui ingenti beneficio, quotquot bonas litteras colunt, aeternum sibi deuinxit. Quis enim est paullo humaniorum, qui, quantum ei debeant Lucretius, Sallustius, Orosius, ignoret? vt adeo audax videri possit, post viri summi labores quidpiam conari. Nihilominus specimen eorum, quae in Orosio post eius praestantissimam editionem animaduerti, promere minus addubito, blanda spe allectus, fore, vt lector conatum nostrum, qualiscunque ille sit, bonas litteras iuuandi aequi, bonique consulat. Lib. I. c. 16. p. 68. de Amazonibus: Prob dolor! pudet erroris mundani: mulieres patria profugae, Europam, atque Asiam, id est, plurimas, fortissimasque mundi partes intrauerunt, peruagatae sunt, deleuerunt, centum paene annis euertendo urbes plurimas, atque alias constituendo tenuerunt. Non multum mihi apud emunctae naris lectorum laborandum erit, vt persuadeam, prius illud plurimas esse corruptum: hoc enim totius orationis series euincit. Variat non nihil antiqua editio, sed nihil inde opis. Quid mihi de hoc loco deliberanti succurrerit, aperiam. Videtur nimirum τὸ plurimas contractionem esse verbi pulcherrimas, scriptumque prius fuisse plurimas, mox ex sequentibus: Urbes plurimas, librarii incuria mutatum in plurimas; vt scripsit Orosius: Mulieres patriae profugae Europam, atque Asiam, id est, pulcherrimas fortissimasque mundi partes intrauerunt, peruagatae sunt, deleuerunt. Vides locum elegantissimum, et Orosio dignum. Europam atque Asiam pulcherrimas mundi partes esse recte veteres existimarunt. De Europa Pompeius Festus p. 133. edit. Dacer. Quidam ob pulchritudinem regionis per simulationem raptae filiae occupatam eam terram ab Agenore et Phoenicibus ferunt. Idem de Asia celebrari quis nescit? eo diui-

diuinum vatem respexisse crediderim, dum *Aeneid.* Lib. I. v. 388. Ae-
neam ita loquentem inducit:

Ipse ignotus, egens Lybiae deserta peragro,
Europa, atque Asia pulsus - - -

Quasi infortunium suum ex eo augeat, quod Europa, atque A-
sia pulcherrimis, florentissimisque orbis partibus electus, Lybiae deser-
ta atque inhospita peragrare cogatur. Lib. VII. c. 28. p. 539. vbi de
Constantini bello in Licinium agit, ita editum ab Hauercampo : *Cum o-
mnibus iam ministris nefariae persecutionis extinctis, hunc quoque in quantum
exferere potuit, persecutorem digna punio flagitaret.* In antiquis editioni-
bus pro *exferere*, est *exercere*; et hoc sine dubio redonandum Orosio.
Quod ne a nobis temere adfirmari putas, accipe testimonium ex Excer-
ptis Auctoris Anonymi de Constantino Magno, quae ad finem splendi-
dissimi Ammiani sui publicauit Valesius, quiue in consilium aduocari
debuerat ab Hauercampo, quum pleraque verbotenus ex Orosio descri-
bat. Is igitur p. 661. manifeste ita legit, vt diximus. *Exercere autem
persecutorem, pro persequi, facere ea, quae sunt persecutoris, phrasis
est ab illius aeui ingenio non abhorrens.* Vide Casaubonum *ad Suetonii
Neronem* p. 536.



CA.

C A P U T VI.

Ouidius defensus aduersus Gebbardum, et utrumque Heinsum. Credis? Leuiter adiutus Lucanus. Nec non Catalesta. Tentata emendatio in versibus Porci Licinii apud Aulum Gellium. Is notatus.



In elegantissima Paridis Epistola Heroid. XVI. vers. 143. legimus.



Credis & hoc nobis? minor est tua gloria vero,
Famaque de forma paene maligna tua est.

Huius gemmae pretium quum non agnoscerent Daniel, et Nicolaus Heinsei, ceteroqui diligentes latinarum elegantiarum aestimatores, inuitis MSS. omnibus emendarunt: *Crede sed hoc nobis.* Quod etiam ante illos fecit Gebhardus Lib. II. *Crepundiorum c. 3. p. 62.* Enimuero, quantum in me est, illorum vim maiorem procul a Nasone abesse iubeo. Est enim suauissima, et veneris plena dicendi formula, qua probati scriptores vtuntur, quum aliquid nouum, aut incredibile est enuntiandum. Ita Seneca in choro Thyestae v. 546. p. 63. edit. Scriv.

Credat hoc quisquam? Ferus ille et acer
Nec potens mentis, truculentus Atreus
Fratri aspectu stupefactus haesit.

Aegopoditorum hanc Lucano reddiderim Lib. VIII. *Pharsal.* v. 256.
ubi vulgo est:

Crederet hoc Magnus, pacem cum praefstitit undis
Et sibi consultum?

Legam lubens:

Crederet hoc Magnus? pacem cum praefstitit undis
Et sibi consultum. Cilicum per litora tutus
Parua rate fugit. cet.

Eadme

Eadem opera iuuandus Afinius Gallus in versibus, quae inter
Catalæsta Petronio subiuncta leguntur. p. m. 61.

Hersilus hic iaceo, mecum Marulla quiescit
 Quae foror, et coniux, & mihi sponsa fuit.
 Vera negas, frontemque trahens aerigmata Sphyngos
 Credis: sunt Pythio vera magis tripode.

Procul enim dubio legendum:

Vera negas? frontemque trahens aerigmata Sphyngos
 Credis? sunt Pythio vera magis tripode.

Confirmant me haec in coniectura quadam, qua dudum Porcii
 Licinii versus apud Aulum Gellium tentabam. Leguntur hi *Noct. Att.*
Lib. XIX. c. 9. p. 850.

Custodes ouium, teneraeque propaginis agnum
 Quaeritis ignem? Ite huc. Quaeritis? ignis homo 'st.
 Si digito attigero, incendam filuam simul omnem,
 Omne pecus flamma 'st, omnia quae video.

Nemo hic unquam quidquam de mendo suspicatus est: et fieri
 potest, vt et nos intempestive suspicemur: nihilominus fraudi nobis esse
 nequit, si coniecturam nostram aperiamus. Scilicet geminatio illa verbi
Quaeritis semper mihi et superuacanea et inconcinna visa est. Quare
 considerent erudit, an non multo elegantius legeretur:

Custodes ouium, teneraeque propaginis agnum
 Quaeritis ignem? ite huc. *Creditis?* ignis homo 'st.

Belle certe conuenit cum παρεδίξω illo, quod subiicit de igne.
 Quod tamen, vt hoc obiter dicam, valde frigidum est, licet Gellius in-
 ter venustissima aliorum Epigrammata repulerit: in quo Gellii iudicium
 desidero. Ceterum facile *creditis in quaeritis* transfire potuisse, satis, op-
 nor, unusquisque intelligit. Nam C. et Q. frequenter commutari, tra-
 latitium est. Vide Ioannem Marium Matium *Annot. in Auct. Graec. et La-*
tin. c. 13. fol. 26. Menagium *Amenit. c. 31. p. 185* Gudium *ad*
Phaedrum p. 41. Edit. Burm. Brenkmanum *Hijl. Pand. L. II. c. 6. p.*
169. Gruterum *p. DCCLXXXVI. n. 5.* atque alias passim.

CAPVT



C A P V T VII.

C. Barthii laus. Isidori Differentiae. Eae loco deprauatissimo restitutae. Aquata. Merata. Observata quaedam de mixtis veterum potionibus. Lactentia coacla. Lucilius defensus. Douza vterque notatus. Potius seruorum.



Inter cetera antiquitatis monumenta, quae ex scidis suis in lucem publicam protraxit Vir incomparabilis Caspar Barthius in admirando Aduersariorum opere, non ultimum locum obtinent fragmenta illa, quae ex Isidori libro *Differentiarum* anecdotio euulgavit: sunt enim et ad linguae latinae proprietatem noscendam perutilia, et ad veterum scripta intelligenda quam maxime conducentia. Veteres enim non nisi proprie, atque signate locuti sunt ita, ut decuit, teste Gellio Lib. II. c. 6. Quare *de verborum differentiis* scripserunt etiam Cornelius Fronto, Caper, Agraecius, Ammonius, Palaemon, Probus, alii. Ad haec multa veterum scriptorum fragmenta in eo libro occurrunt, quae frustra alibi quaesieris. Hocce Isidori opus tribus ad minimum libris constitisse disco ex antiquo catalogo MStorum Bibliothecae Bobiensis seculo X conscripto, quem edidit Muratorius Tom. III. *Antiq. Italic.* p. 819. Ibi enim inter multa alia Isidori opera recententur *libri differentiarum* III. Verum enim uero illa fragmenta ita lacera, ita mutila, ita monstrosum in modum deformata existunt, ut non verba, sed mera interdum prodigia praeferant. Quamplurima in iis singulari, qua pollebat, ingenii vi feliciter restituit vir ille doctissimus. Verum, ut solet in hoc studiorum genere, non leue posteris reliquit spicilegium. Cuius rei specimen aliquod hoc capite dabimus. Lib. XXXIX. *Aduers.* c. 14. p. 1785. hoc Isidori fragmentum profert Barthius: *Inter aquatam et aquosum interest. Aquatam aqua infusam potionem recte dicimus. Aquosum locum, qui aquam fundit. *I* et * mere tam potionem, merosum autem finum vocamus. Locus feedissime deturpatus; de cuius adeo medicina plane de-*

Iusti Obj. Crit.

C

spe-

sperat Barthius addens „ qui haec sine libro sanauerit - - - nescio an „ non facinus viro dignum perfecerit. „ Haec vir summus. Videor ta- men mihi, nulla licet codicis MSti ope adiuto, veram huius loci lectio- nem reperiisse. Scripsit enim Isidorus: *Aquatum aqua infusam potionem recte dicimus. Aquosum locum, qui aquam fundit. Ita et meratam potio- nem; merosum autem, quod vinum vocamus. Aquatum, ait Isidorus, a-qua infusam potionem recte dicimus, aquosum vero locum, qui aquam fundit. Ita, eadem nempe inflexione, meratam vocamus potionem mero infusam; merosum autem illud, quod vinum fundit. Verbum e- nimirum fundit ἀπὸ κοντῆς repetendum. Aut me omnia fallunt, aut nihil hac emen- datione certius, nihil verius. Hinc discimus aquatum Isidori aetate vocatam fuisse potionem aqua infusam; meratam vero potionem mero infusam. Quae verba nescio an alibi occurrant. Aquatum quam vocat Isidorus, id est, vinum aqua infusum, Romanis in delicis erat, prout docuit Lipsius Ele^{ct}. Lib. I. c. 4.p. 236. seq. Eratque illa potio vel calida, de qua Lipsius cit. loc. et post eum Octavius Ferrarius Lib. I. c. 12. p. 51. seq. vel et- iam frigida, quum nempe mero admiscebant aquam ex niuibus solutam, quam niuatam vocabant. Isidorus: niuata, aqua ex niuibus facta. Sic enim recte emendauit Reinesius IV. Var. le^{ct}. 13. et ante illum Geb- hardus II. Crepund. 12. De hac intelligendus Martialis Lib. V. Epigr. 65.*

Sextantes, Calliste, duos infunde Falerni,
Tu super aestiuas, Alcine funde niues.

Delectabantur Romani summopere mixtis huiusmodi potionibus. Vtebantur praesertim melle, quod cum aquae, tum vero vino misce- bant, imprimis Falerno ad eius austерitatem leniendam. Idque satis no- tum ex Virgilio Georgicorum IV. praecipue vero ex Horatio, apud quem crebra huius rei mentio occurrit. Hinc potiones *Hydromeli* et *O- nomeli*, cum alibi, tum in L. 9.pr. π. de trit. vin. vel ol. leg. Confer Bar- tholinum in *Auctario* c. IV. Dionys. Gothofred. ad d. L. 9. Brissonium de *Verb. sign.* hac voce. Guid. Panziollum *Thes. Var. Le^{ct}. L. II. c. 85. p. m. 258.* imprimis vero inexhaustae eruditiois virum Henricum Mei- bomium in *Commentario de cerevisiis* c. 20. In *Glossis* Barthii *Aduers.* Lib. XXVIII. c. 19. *Idromellum aqua mellita*, quae angiae medo dici- tur. Vbi notabis mellitam vocari aquam a melle infuso, vt Isidoro *a- quatum et meratam ab aqua & mero*. De aqua *mellita*, vt de *medone* praeter laudatum Meibomium plura etiam docebunt Lindenbrogius *ad Ammian. Marcell.* p. 63. *Edit. Vales.* et du-Cangius in *Gloss. med. et inf.*

Lat.



Lat. voce Medo. Quae vox non Anglis tantum, vt ait Glossator; sed et reliquis septentrionis populis communis. Neque vero, vt et hoc obseruem, aquae tantum aut vino mel admiscebant, sed etiam lacti. Lucilius *Fragment.* p. 228. *Lactentia coaclā cum melle bībi.* Minime audiendus Douza pater, eumque secutus filius, qui metri gratia emendant.

— *lactentia coa
clam cum melle bībi.*

Nam *lactentia coaclā*, siue *coagula* sunt ipsum lac coagulatum, conspiissatumque. Calpurnius *Elogia III.* v. 68.

*Sed nībi nec gracilis sine te fīscella salīcō
Texitur, et nulla tremuere coagula lāctis.*

Qui locus miserrime Burmannum torsit in notis p. 609. Tom. I. Poet. min. Hinc *lac ad coagula*, ex quo nimis conspiissato, condensato que caseus exsicit. Cuius usum ante omnia in Arcadia inuenisse Aristaeum refert Iustinus Lib. XIII. c. 7. p. 314. edit Graeu. *Aristaeum*, inquit, in Arcadia late regnasse, eumque primum et apium, et mellis usum, et *lactis ad coagula hominibus tradidisse*. Quae verba frustra sollicitauerunt. Quod autem versus gratia ita corrigendum esse Lucilium censet Douza, nullo nititur fundamento. Notum enim est, et infra a nobis ostendetur c. XX, veteres grammaticos loca poetarum non semper integra citare, sed ea tantum proferre, quae ad rem, de qua agitur, facere videntur. Ut adeo ex illis frustulis, quae ita carptim, et sine numero referuntur, velle semper versum restituere, inutilis labor censendus sit. Hisce deliciis seruis interdictum erat: quibus solus aquae potus relicitus. Ouidius:

Ne tibi perpetuo serua bibatur aqua.

Quia nempe aqua vilissima, quum eius copia ubique sit obuia. Horat. *I. satir. V.*

Venit vilissima rerum

Hic aqua.

Reperio et aliud potionis genus seruis attributum, aqua scilicet, qua lauabantur vuae in torculari post expressum vinum. Glossae Barthii supra laudatae. *Iacīnum, quasi aquidūm dicitur. Est enim aqua, qua lauantur vuae in torculari post expressum vinum. Est autem potus vilissimus servis aptus.* Sed vox *Iacīnum* corrupta est, vnde et asteriscum ei apposuit Barthius. Quid eius loco sit substituendum, videant acutiores et eruditiores.


C A P V T VIII.

Herennii Modestini I. C. Fragmentum ex Libris Differentiarum erutum, et illustratum. Aug. Bachius V. C. laudatus. Deportatis asperrimae, et pestilentissimae insulae attributae. Quare non liceat ultra annum in Oasi releggere. Explicata L. 7. §. 5. π. de interdict. et releg. Christophorus Cellarius notatus. De Oasi adnotata quaedam.

Iurisconsultorum veterum fragmenta quanto ad Iuris romani intelligentiam sint emolumento, quantoque in pretio sint habenda Iuris civilis studio, nemo est paullo politiorum, qui neciat, et constat duorum doctissimorum hominum testimonio, Emundi Merillii, et Emanuelis Martini; illius in *Observat.* Lib. VII. cap. 1. p. 249., huius vero in *Epistolis* Lib. XII. Epist. 27. p. 205. seq. Quum igitur superiori capite de Isidori libro *Differentiarum* facta fuerit mentio, fragmentum quoddam Herennii Modestini ICti nobilissimi in eius libri excerptis superferes proferam, et illustrabo. En igitur Isidori locum, prout e scidis suis edidit Barthius *Aduers.* L. XXXIX. c. 14. p. 1783. Inter eum, qui in Insulam relegatus est, et eum, qui deportatur, magna est differentia, ut ait Orenius. Primo, quia relegatum bona sequuntur, nisi fuerint ademta alio modo: deportatum non sequuntur, nisi palam ei fuerint concessa. Ita sit, ut in relegato mentio bonorum homini noceat, deportato proficit. (Sic verissime emendatum a Barthio) Item distant etiam in loci qualitate, quod cum relegato humanius transfigitur, deportatis vero haec solent insulae assignari, quae asperrimae, quaque sunt paullo minus summo supplicio comparandae. Egregium hocce fragmentum Herennii Modestini ICti celeberrimi esse, sagacissime ex corrupta voce Orenius odoratus est incommensurabilis Barthius pro sua in hisce litteris perspicacia. Ex quo autem Modestini libro haec ab Isidoro citentur, non addidit. Mihi non est dubium, quin transcriperit Isidorus ex Herennii Libris IX. differentiarum, quos scripsisse Modestinum ex Indice Florentino docemur: Modestiu Diffe-

Differentiō C. Cl. ēvea. Valde enim vero est simile, Iidorum de Differentiis scribentem aliorum eiusdem argumenti opera prae oculis habuisse: praecipue quum non sit ignotum, hominem hunc omnia ex aliorum scriptis consarcinare, mediocriter per se doctum, nonnunquam etiam ineptum. Verba: *nisi fuerint ademta alio modo*, interpretationem recipiunt ex L. 4. et 14. π. de interd. et releg. Scilicet auaritia principum olim factum fuerat, vt relegatorum bona fisco addicerentur. Quod cum contra Ius, et fas fieri, suaque clementiae non conuenire existimaret Traianus Caesar, abusum hunc sustulit L. 1. π. eod. Vide Io. Augusti Bachii, viri in iuris historia versatissimi, summo bonarum artium malo super denati, elegantem Commentarium de Legibus Traiani p. 209. seq. Manserunt igitur relegatis sua bona, cum hac tamen limitatione, *praeter ea, si qua eis ademta sunt*, vt d. L. 4. aut *nisi specialiter bona publicentur* d. L. 14. Ergo inquietus, inutiliter rescripsit Traianus, relegatis bona manere debere. Nequaquam: nam haec limitatio hunc effectum habet, vt ordinarie quidem bona eis manerent, possent tamen, si velit Princeps. fisco addici, sed non nisi causa cognita, d. L. 4. Vnde eleganter Modestinus: *Ita fit, vt in relegato mentio honorum homini noceat*, quia ordinarie censetur retinere: *deportato profit*: quia ordinarie censetur amittere. Quod autem ait Modestinus: *Deportatis eas insulas solere assignari, quae asperimae quaeque sunt paullo minus summo supplicio comparandae*: egregie ipsi obseruatum. Nam et Nero Cassium Longinum percelebrem illum Jurisconsultum in insulam Sardiniam deportauit, Tacito Auctore L. XVI. annal. C. 9. p. 294. edit. Lipsii, idque vt certius, et citius periret. Vide Guilielmum Grotium de Vitis Ictorum Lib. II. c. I. p. 110. De Sardiniae insulae pestilentia videnda, quae ex graecis, latinisque scriptoribus collegit Cluverius in Sardinia antiqua p. 479. et seqq. ad calcem eius Siciliae recusa. Talis etiam erat Pontica terra, in quam deportatus fuit Ouidius, vt ipse ingemiscit. III. ex Pont. I. confer, si libet, Petrum Petutum in Differt. de Amazonibus C. XII. p. 65. Hinc in L. 7. §. 5. π. de interd. et releg. vbi ait Vlpianus: *Est quoddam genus quasi in insulam relegationis in provincia Aegypto, in Oafin relegare*: Recte graeci interpretes Lib. LX. Bafilicorum addunt, non licere in perpetuum, imo nec ultra annum in Oafin relegare, obseruante Cuiacio L. VIII. Obj. c. 27. p. 245. nempe ex L. vlt. Cod. de poen. Credo, quia Oafis regio est sive a ventis, sive a muscis, culicibusque pestilentissima, ne relegatio in deportationem degeneraret. Nam illud vere, et proprie exilium erat. Auctor Breuiculi Historiae Eutycbia-nistarum de Petro Haeresiarcha: *Ibi pulsò Martyrio catholico episcopo per baete-*

haereticos sedem *ipfis* occupasse, continuoque damnatum a Leone tunc principe ad Oasitanum exilium esse directum. Atque hic est genuinus Vlpiani sensus, dum ait: QVASI IN INSVLAM. Quia nempe Oafis omni insula peior, atque deterior. Eruditissimus Cellarius *Geographiae antiquae* Lib. IV. cap. I. p. 815. Tom. II. ita scribit de illo Vlpiani loco: „Dicit quasi in insulam, quia hoc exilium aequale erat deportationi in insulam, quod inde regredi damnatus non posset, nec effugere, ita Oafi arenis cincta, ut insula mari. „Enim vero an eo respexerit Vlpianus, vehementer dubito. Neque enim Oafis arenis cincta est, ut insula mari, verum tota regio arenis repleta est. Cuius rei testis est Olympiodorus apud Photium Cod. 80. p. 191. edit. Schott. cuius verba sunt: Deinde etiam quod perpetuo copiosa ibi arena scatet, tresque Oafes REPLET. οὐ τάς τρεῖς ΑΝΑΙΔΗΡΟΙ Οὔστεις. Ceterum praeter eos, quos in Oafim relegatos obseruat Cellarius, eo etiam amandatus Calendio episcopus Antiochenus a Zenone Imperatore, si fides habenda Alessandro monacho in laudatione S. Barnabae. Vide doctissimum Le Quien in *Dissertationibus Damascenis*.



CA.

C A P V T I X.

Cornelius Tacitus emendatus. Sibi iniungere, sibi interdicere. *Vetus inscriptio obiter correcta.* *Iurisconsulti amici Principis vocati.* *Alius Taciti locus expositus.*

Singulare fortitudinis exemplum in oppetenda morte praeflitit Cocceius Nerua Iurisconsultus Tiberii aetate nobilis. Eius obitum describit Tacitus Lib. VI. Annal. c. 26. Sed quia eius verba inobseruatum hactenus mendum obsidere arbitror, dabo operam, ut illud eluam. *Haud multo post*, inquit p. 367. Tom. I. edit. Iac. Gron. *Cocceius Nerua, continuus Principis omnis diuini, humanique iuris sciens, integro statu, corpore inlaeso, moriendi consilium cepit.* Quod ut Tiberio cognitum, adsidere, causas requirere, addere preces, fateri postremo, graue conscientiae, graue famae suae, si proximus amicorum nullis moriendi rationibus vitam fugeret. *Auersatus sermonem Nerua, abstinentiam cibi coniunxit.* Secure haec transmittunt doctissimi Commentatores, Lipsius, Gronius, atque ipse celeberrimus Ernesti. Attamen verba: *abstinentiam cibi coniunxit*, dudum suspecta mihi sunt. Quaeſo enim, cum qua re abstinentiam cibi coniunxit? Mihi haec locutio plane insolens, et incondita videtur. Lego ſcriptura leuiffime immutata: *abſtinentiam ſibi iniunxit*, id est, ſibi imposuit. *Sibi iniungere*, elegans locutio est, atque huic loco adcommodatissima. Plinius Paneg. c. 86. p. 440. edit. Schwarz. *Operae pretium eſt referre, quod tormentum tibi iniunxeris, ne quid amico negares.* Sic a contrario *ſibi interdicere*. Marmor apud Muratorium p. 10CLXX. n. 5. Aglao. Psophidio. homini. bono. hic. nemini. maledixit. aurum. arg. concupiit. minus. in omni. vita. foro. vrbib. ſibi. interdixit. et coedib. cum. fundo. perpetuum. negotium. habuit. Haesit hic (quod obiter obſeruo) ad vocem *coedib.* doctissimus

mus Muratorius „*aedib.*”, inquit, vox mihi suspecta. Locum fortassis „ indicat, vbi Aglaus iste in secessu vitam ducebat „ Verum mihi non est dubium, quin sculptoris inscritia duae voces coaluerint, atque legendum sit: *cum aedib. cum fundo.* scilicet Aglaus iste se totum dederat rei familiari procurandae, et quum secessisset in praedium, operam affidue dabat tum fundo, tum aedibus fundo annexis. *Praedia enim nonni- si cum aedificio sunt,* teste Varrone. Horat. I. Od. 12. v. 43.

*Saeua paupertas, et auitus apto
cum lare fundus.*

i. e. adiecto, annexo. Ad Tacitum vt redeam, vides, quam elegans, et scriptoris illius laconismo conforme sit *abstinentia ἀπλωσ* pro cibi abstinentia. Sic Petronius *Satir.* p. m. 72. *Itaque mulier aliquot dierum abstinentia sicca passa est frangi pertinaciam suam.* Postremo illud obseruatione dignum est: Neruam a Tacito vocari *continuum Principis, et amicorum proximum.* Eundem enim Neruam Pomponius in L. 2. §. 47. π. de Orig. Iur. appellat *familiarissimum Cæsaris.* Et solent Principes Iurisconsultos *amicos suos* nominare. Sic in rescripto Diuorum fratrum apud Vlpianum in L. 17. π. de iur. patron. exstat: *Vohsius Maecianus amicus noster;* et postea: *sed cum et ipso Macciano, et aliis amicis nostris, Iurisperitis addibitis plenius tractaremus.* Et in fine: *sed et Salui Iuliani, ami- ci nostri, clarissimi viri, hanc sententiam fuisse.* Ac ne ille quidem alter Taciti locus satis est haec tenus a Viris doctis intellectus in Libello *de Morib. Germ.* c. 36. p. 448. edit. Lipsii, vbi legitur: *in latere Chaucorum, Cattorumque Cberisci nimiam, ac marcescentem diu pacem illaceſſi nutriti- runt: idque iocundius, quam tutius fuit.* Quia inter impotentes, ac validos falso quiescas: vbi manu agitur, modestia ac probitas nomina superioris sunt. Haerent hic interpretes. Io. Frid. Gronouius interpretatur: „ cum res „ vi agitur, non ii modesti ac probi censentur, qui nihil agunt, sed qui „ sibi temperant tum, cum plus valent, et superiores sunt. „ Sensu ab hoc loco alienissimo. Nicolai Heinſii, et aliorum coniecturas vide in editione celeberrimi Ernesti; ita enim sunt comparatae, vt nemini queant satisfacere. Tanaq. Faber *Epist. Crit. Epist. XXII. Lib. I.* p. 73. mendosum clamat locum, et pro *superioris* corrigit *ſequioris.* Sed nihil mutandum. Si quid enim video, hoc vult Tacitus: vbi manu agitur, nihil iuuat ad pacem conseruandam modestia, et probitas: haec enim no- mina

mina illius sunt, qui viribus ceteros superat, qui quodcumque per fas et nefas agat, semper modestus ac probus est, semperque iuste agere videri vult. Potentibus enim in promptu semper sunt colores ac praetextus ad debiliores opprimendos. De prouincialibus Romanorum magistratis Cicero pro Lege Manilia C. 22. p. 73. Quod enim fanum putatis in illis terris nostris magistratibus religiosum, quam ciuitatem sanctam et munitam fuisse? Vrbes iam locupletes, ac copiose relinquuntur, quibus causa belli propter diripiendi cupiditatem inferatur. Hunc ego huius loci esse sensum iudico: quem obscuriorum fecerat solennis auctoris illius laconismus. Et est digna tam sagaci historico obseruatio; vnde natum prouerbium: *ius in manibus: ius in viribus*, de quo Erasmus *Adag.* p. CLXII.



C A P V T X.

Coniectura de corrupto Auli Gellii loco. Hermannus Cannegieter V. C. sepositus. Helius Melissus τεχνικος. Videtur in Ciceronis Philippicas commentatus. Caspar Barthius, et Petrus Burmannus reprehensi. Seruius emendatus.



Difficilis in primis nodus occurrit apud Gellium Lib. XVIII. c. 6. Verba sunt: *Helius Melissus in nostra memoria fuit Romae summi quidem loci inter Grammaticos, et temporis, sed maiore in litteris iactantia, et σοφιστη, quam opera. Deprauata esse illa et temporis, nemo est, qui non statim animaduertat; verum in paranda medicina vehementer sudant interpretes, ac nihil denique extricant, quod vltro fatentur.* Confer Iac. Gronouii notam ad hunc locum p. 815. Rem confecisse sibi visus est V.C. Hermannus Cannegieter in *Dissert. philologico-Iuridica de veteri Lege Romana, cuius meminit Nonius, recula in Fellenbergii Iurisprudentia antiqua Tom. II. c. 5. p. 94.* „*Legge, inquit, et stipendi. causa erroris inde nata, quod voces tempus et stipendum fere eadem nota scribebantur. TP. tempus significat: STP. stipendum. Valerius Probus dicit: TPB tempus bonorum, et tempus bonum.*” Vere pace viri docti dixerim, oportebat ostendere ex Probo, stipendum iis notis STP. scribi fuisse solitum, alioquin hoc nihil ad Gellium facit. Quamuis enim non nesciam, summum esse notarum usum in scriptoribus veteribus emendandis; non tamen illae ex cuiusvis arbitrio sunt fingenda, sed attendendum est ad legitimas et receptas, quasque pro scripturae compendio adhibitas fuisse testantur Magno, Valerius Probus, et alii. Qua de re praecclare, ut omnia, differit ὁ κριτικώτατος Bynkershoekius Lib. I. *Observat. cap. 23. p. 64.* Quare nihil hinc Gellio opis. Mihi, si quid sentio, modeste proponere licet, altissimum hic subesse vulnus videtur, atque τὸ temporis, siue, ut vetus Codex habet teste Gronouio, temporibus, corruptum esse ex graeco

ver-

verbo *τεχνικής*. Siquidem scripsisse Gellium exstimo: *summi quidem loci inter Grammaticos et τεχνικές*. *Τεχνοί* autem vocantur, tum qui in vniuersum de artibus liberalibus scripsierunt, tum maxime grammatici, et qui de praeceptis grammaticis commentati sunt, vt abunde docent I. Gerardus Vossius de *Art. Gramm.* Lib. I. c. 4. p. 5. Tom. II. Opp. atque obseruator Halensis Tom. VI. Obs. 17. §. 10. p. 137. in qua obseruatione late, et erudite de huius vocis significationibus differitur. Adeo etiam Lucam Holstenium in obseruationibus ad indicem scriptorum Stephani Byzantini in *Miscell. obseru. Nou.* T. II. p. 123. 124. et Leonem Allatium in *Diatriba de Georgiis* p. 320. subnexa historiae Byzantinae Georgii Acropolitae editionis regiae. Iam Helius Melissus ipso Gellio teste eodem Lib. XVIII. c. 6. scripsit compluria, inter quae librum *de loquendi proprietate*. Scripsit etiam, vt suspicor, in *Philippicas Ciceronis*. Nam sic scribit glossator Virgilianus a Barthio editus Lib. XXV. *Advers.* c. 5. p. 1681. *Anser Poeta erat Antonii, de quo Mel in Philippica Ciceronis dixit.* Ad ea verba sic notat Barthius „arbitror Melissum grammaticum cum criticum hic nominari, cuius nomen non ignobile. Vide Iosephum Scaligerum *Auson.* Lect. L. I. c. 14. „Intelligit Caium Melissum grammaticum, et comoediographum Maecenati familiarem, de quo praeter Scaligerum agunt Lilius Gyraldus *Hist. Poet. Dial.* VII. Meibomius in *Maecenate* c. 18. p. 110. et Heinsius ad *Ouid. IV. Pont.* 16. 30. Sed fallitur omnino Barthius. Suetonius enim *de illuſtr. Gramm.* c. 21. p. 383. Tom. II. *edit. Burmann.* illius scripta recentens non meminit nisi *Ineptiarum* et *Togatarum*. Burmannus ad Sueton. *de illuſtr. Gramm.* c. 3. p. 360. dubitat, an Melissus ille Barthiani Scholiaſtae idem sit cum veteri illo C. *Melisso*, an vero cum *Lenaeo Melisso* Suetonio ibidem memorato. Sed fallitur et ipse: sola enim nominis congruentia nullum plane pondus habere potest. Minime me a vero aberrare crediderim, si affirmauero, citari ab glossatore Virgiliano nostrum hunc *Helium Melissum* Gellii coetaneum. Is, qui legebat in scholis, et qui scripsit *compluria*, verosimiliter et in *Philippicas Ciceronis* est commen-tatus, quas alioquin discipulis interpretari soleret. Fragmentum Melissi de *Differentia Matronae*, et *Matrisfamilias* refert Ifidorus in *Differentiis* apud Barthium L. XXXII. *Adu. c. 1. p. 1465.* Inter matronam, inquit, et matremfamilias Melissus grammaticus hanc differentiam arbitratur inter se, quod matrona dicatur mater primi infantis, materfamilias, quae plures peperit. Esse hunc Helium Melissum Gellii aequalem, tum fragmentum hoc ex libro *de loquendi proprietate* esse depromtum, elucet ex Gellio

d. L. XVIII. c. 6. vbi de ea differentia aduersus Melissum disputat. Id que hic rursus ignorasse videtur Barthius. Hinc patet, quem designet Seruius ad II. Aeneid. 476. *Quidam Jane arbitrantur, inter matronam et matremfamilias hoc interesse, quod matrona dicitur mater primi pueri, (ita legendum ex allato fragmento, non ut vulgo perperam prima pueri mater,) materfamilias, quae plures peperit.* Vere igitur τεχνιὸς Melissus. Meminit τεχνιῶν ipse Gellius Lib. XVII. c. 5. p. 758. Hoc cum legeretur (locus Ciceronis ex Laelio) in coetu forte hominum doctorum, rhetoricus quidam sopista, virtusque linguae callens, haud sane ignobilis, ex iſis acutulis, et minutis doctoribus, qui τεχνιοὶ appellantur. Graeca apud latinos grammaticos, praecipue vero apud Gellium corruptissima extare, quis in criticis est tam hospes, ut nesciat? conqueruntur passim hac de re viri docti. Vide Albericum Gentilem de Iuris Interpp. Dial. VI. p. 653. Turnebum Aduers. Lib. VI. c. 12. p. 189. et Dan. Wilhelm. Trillerum Lib. IV. Obs. Crit. c. 5. p. 322. Sic etiam Lib. XIX. c. 12. vbi est: *et omnino non dolere, vir doctus in Obs. Mifell.* Vol. I. Tom. III. p. 441. emendauit: πντως non dolere, ex vetusto Cod. vbi est: *rhetor. n. d.* Sic et apud Seruium ex ἐν διὰ δυσὶ, endiadys effecerunt librarii, obseruante Henr. Stephano *de abusi ling. graec.* pag. 77. Haec nostra est de hoc deposito Gellii loco suspicio: cuius iudicium eruditioribus rescribo.



CA-

C A P V T XI.

Vetus Scholiales Virgilii a Barthio editus insigni loco emendatus. Granii Flacci fragmentum ex libro de Iure Papyriano nunc primum eratum. De Granio quaedam. Videtur antique locutus. Godefr. Olearius notatus. Casanboni coniectura probata. Harduini reiecta. Iurisurandi religio apud Romanos non primum a XII. Tabulis repetenda, ut bacillus creditum, sed ex moribus temporum Regionum. Superi Diu in iuramento inferis praelati. Scholiales illustratus. Viri docti plagium. Elias Vinetus notatus. Servius defensus. Viri docti error castigatus. De auctoritate Enchiridii Pomponianii. Non neminis commentum explosum. Coniectura in Junio Philargyro. Barthius, et Vossius sepositi. In Feslo lacuna detecta. Idem Philargyrus defensus et explicatus. Barthii lapsus. De eiusdem libris Adversariorum ineditis.

Quantum ad antiquitatem noscendam, scriptorumque loca intellegenda adiumenti praebent vetera scholia, compertum est inter eruditos. Eius rei insigne argumentum daturi nunc sumus; quod quidem eo lubentus adgredior, quia ad historiam Iuris romani illustrandam non parum, vti confido, conducet. Edidit vir immortalis, et nunquam sine honoris praefatione nominandus C. Barthius ex MSS. veteris scholiae Virgiliani fragmenta quaedam in XII. Aeneidos Adu. Lib. XXXIII. c. 13. p. 1527. seqq. optimae fane frugis, et talia, ut merito dira omnia iniquissimi rasoris manibus, cuius audacia reliqua interierunt, imprecetur vir magnus. Inter alia profert p. 1528. ex vetusto illo commentatore haec in versum 234.

. . . *Superos, quorum te deuouet aris.*

Notandum, quod meliorem partem praetulit. Nam cum de omnibus Diis locutus esset in sacrificio, hic Superos praetulit. Et Iupiter est fæderum

derum praeſes. * *Elaus* ſcribit *Numan Pomphilum*, cum ſc̄ra Romanis conderet, voto impetrat̄, ut omnes Dii falſum iuramentum vindicarent. Fragmentum hoc quantius pretii turpis macula deturpat, vt quiuis facile perſpicit. Quis enim iſte *Elaus*? de quo grauiſſimo mendo eluendo plane desperat Barthius, cuius haec ſunt verba: „haec fane digna ſunt luce. „Quis vero *Elaus* iſte? cuius nomen ob ignorantiam asterifco notaui- „mus; (non enim vlla lacuna, aut dubitatio eſt in vetuſto exemplari „prifco) neſcire me fateor, nec vacat inquirere. „Haec Barthius: mo- deſtiffime et ingenue, vt virum magnum et veritatis ſtudio ductum decet. At nos audaciſſimi, et arrogantia non tolerabili, qui locum adgredi non vereamur, in quo ignorantiam ſuam tam aperte tantus vir fuerit confeſſus. Nihil tamen deterreor. Videor enim mihi non inuitis plane gratis, ex quo ſcriptore hoc adducat ſcholiaſtes, odorari. Etenim electo ſpurio illo, et in toto Latio inaudito *Elaō*, minima mutatione pro *ELAUS FLACCVS* ſcribendum eſſe contendō. Eſt hic *Granius Flaccus*, qui ad Ius Papyriānum, leges nempe regias commentatus eſt. Et ex hoc libro procul dubio eſt, quod citat ſcholiaſtes. Huius Granii mentio occurrit apud Paullum IC.in L. 144.de V.S. Cenſorinum *de Die Natali* c. 3. p. 13. edit. Haverc. Festum in *Ricæ*. Macrobiūm Lib. I. *Saturn.* c. 18. p. 199. edit. Gronov. Sed et hunc ab Auguto memorari in verbis, quae profert Suetonius *Auguſt.* c. 86. exiſtimat doctiſſimus Casaubonus in aureo commentario Tom. I. p. 431. edit. Burm. hocque nomen apud illum pro vulgato *Veranius Flaccus* reſtituit. Quod ſi verum eſt, oportet Flaccum archaiſmorum fulle affeſtatorem. Ita enim eſt apud Suetonium: *Tuque dubitas Cimberne Annīus, an GRANIVS FLACCVS imi- tandi ſint tibi? ita, vt verbis, que Crispus Salustius excepſit ex origini- bus Catonis, utaris? an potius Asiaticorum Oratorum inanis ſententiis ver- borum volubilitas in noſtrum ſermonem tranſferenda?* Neque id mirum; nam facile illi hoc haerere potuit ex tractatione Iuriſ Papyriani, ad quod erat commentatus. Ius enim Papyriānum antiquiſſima Romanorum lingua conſcriptum fuſt, vt facile intelligitur, et obſeruant Wefſelingius et Heineccius locis infra citatiſ. Et diſerte hoc de *Libris Pontificum* teſtatur Mārius Victorinus Gramm. p. 2459. prout illius verba egregie conſtituit Observator Halenſis Tom. VI. p. 30. Quare non leuiter lapsus eſt eru- diſiſſimus vir Godefridus Olearius in diſſertatione de *xowwiaq cum Chri- ſo, et daemoniis* §. XIII. p. 10. dum Macrobii verba I. Sat. 18. pro ipſis Iuriſ Papyriani verbis citat. Occurrit item *Granius* apud Quintilianum Lib. I. *Inſt. Orat.* c. 6. p. 81. edit. Burm. ubi frigide illius etymologiae notan-

notantur. Verum licet ibi eius nomen e MSS. se restituisse dicat Burmannus ad Suetonium loco citato, aliter tamen sensit in notis ad Quintilianum, ubi *Gavii* nomen reponendum esse docebat, et ingeniose coniecit. Ut vero haec Casauboni coniectura non omnino est inuerisimilis, ita assentiri nequeo eruditissimo Harduino, qui in indice critico auctorum Plinio commemoratorum Tom. I. p. 60. *Granum Medicum*, cuius apud Plinium mentio, eundem cum nostro facit. Quod quo fundamento scripserit, plane ignoro. Neque enim antiquario, qualis erat noster, cum medico commune aliquid, neque ea Graniorum Romae penuria. Siquidem iam Lipsius ad Tacitum *Annal.* Lib. IV. p. 115. tres Granos produxit. Plures dedit Sertorius Vrsatus in marmoribus eruditis, opere postumo, Epist. XII. p. 214. - 216. Patav. apud Comineum anno 1719. 4. Longe vero plurimos Muratorius in Thesauro veterum inscriptionum. Et notus iam tempore Lucilii Granius praeco dicacissimus, de quo docebat commentantur Manutius ad Cic. Orat. pro Quintio p. 9. edit. Graev. Casaubonus ad Hisp. Augst. p. 106. edit. Paris. et Douza filius ad *Lucilii fragmenta* p. 250. et 342. Eundem cum hoc esse *Granium Licinianum*, cuius mentio occurrit apud Macrobius Lib. I. *Saturn.* c. 16. p. 187. multorum est opinio; Raeuardi de auctorit. prud. c. 1. p. 7. Harduini cit. loc. Guilielmi Grotii de vits ICC. Lib. I. c. 9. p. 71. Francisci Caroli Conradi V. C. in praefatione ad ampliss. Bynkershoekii praetermissa p. 220. edit. Vbl. Quamuis id temere adfirmare nolle, quod etiam ausum non fuisse video virum praestantissimum Wesselingium Obs. Lib. I. c. 4. p. 13. sed haec satis de Granio. Restituto eius nomine in pristinam possessionem, vnde librariorum inscritia fuerat deturbatum, veniamus nunc ad fragmentum, quod ex ipsius libro commentario de Iure Papyriano seruauit nobis Scholia. Ait ille: *Flaccus scribit, Numiam Pomphilum, cum sacra Romanis conderet, voto impestrasse, ut omnes Dii falsum iuramentum vindicarent.* Quantas Scholiae Barthiano habebimus gratias, quod id nos latere non finit, quod frustra alibi quaesueris. Neque enim, quod sciam, quisquam veterum hoc de Numa prodidit. Est enim communis eruditorum opinio, religionem iuris iurandi apud Romanos a legibus XII. Tabularum esse arcessendam: atque ita docent Theodor. Marcilius ad leges XII. Tabb. C. LXXXVIII. Tom. IV. *Thesaur. Iuris Euerb. Ottonis* p. 301. Iacobus Gothofredus ad XII. Tabb. Tab. X. Tom. III. p. 133. eiusdem *Thesauri Iuris*. Franciscus Balduinus in Leges XII. Tabb. p. 51. Iac. Gronouius ad *Gellium*. Lib. VII. c. 18. p. 413. Vinc. Grauina de *Iure nat. gent.* et XII. Tabb. c.

c. 48. p. 205; atque cum his vniuersa Iurisconsultorum cohors. Enim uero ex Granii nostri fragmento abunde datur intelligere, iurisiurandi religionem apud Romanos ab ipsis paene vrbis incunabulis esse arcessendam. An autem hac de re lex extiterit in Iure Papyriano, affirmare non ausim: neque id ex eo, quod illa ad Ius Papyriani notauerit Granius, colligi potest. Attamen indicari hoc videtur eo, quod Numa voto impetraverit, ut omnes Dii falsum iuramentum vindicarent: quae speciem habent execrationis et dirarum, quibus, vt notum est, vetustissimis temporibus leges fanciebantur. Quodsi hic coniectura nos fallit; dicendum erit, a Nuniae temporibus incepisse moribus saltem periuiriū summi criminis loco haberī. Atque huc fortassis facit Gellius, dum ait Lib. VII. c. 18. *Ius iurandum apud Romanos iniolate, sancteque habitum, id et moribus, legibusque multis ostenditur.* Quoniam vero non solum ex legibus regiis multa in XII. Tabb. translata; qua de re videntur Ios. Scaliger ad Festum V. Nuptias p. 291. edit. Dacer. verum etiam ex moribus; vide Pithoeum ad Collat. Legum Mosaic. et Roman. p. 749. edit. Schulting. Noodt. Lib. I. Prob. 12. Euerh. Ottonem in præfatione Tom. III. Thesaur. Iur. p. 15. ex his conflatam legem in Tab. X. existimo. Quam vero Cicero de Leg. Lib. II. c. 9. legem de pœna periuriū profert: *periuriā pena diuina exitium, humana dedecus,* eam ex Legibus XII. Tabularum desumptam existimat Marcilius cit. loc. nec non Dionys. Gothofredus ad XII. Tabb. p. m. 64. At id post Iacobum Gothofredum reiecit Cl. Otto in præfat. Tom. IV. p. 14. qui deriuatam putat ex moribus populi Romani, quo tempore Cenforum notae de periuriis saepius memorantur. Ego vero existimo, ex moribus quidem eam legem esse desumptam, sed non demum vigente Republica verum sub regibus iam obtinentibus, quod ex haec tenus observatis facile colligi potest. Ex hac vero lege defunta est L. 2. de reb. cred. vt recte cit. loc. obseruauit Gothofredus. De qua lege videndi Caicius II. Obseru. 19. p. 43. et Voetius ad Pand. Tom. I. p. 628. Porro fragmentum hocce firmat lectionem ab Aldo Manutio in nonnullis Codicibus repertam apud Cic. III. Offic. 31. Nullum vinculum ad adstringendam fidem iureiurando maiores arcuū esse voluerunt: id indicant XII. Tabb. indicant *sacra*, indicant *federā*. alias legitur *sacratae*. Vtrum rectius sit, non inquiero. Ceterum quod observat Scholia festes, nempe Virgilium de omnibus prius Diis locutum, Superos praetulisse agens de iureiurando, firmat ipse Virgilius VI. Aeneid.

Per Superos, et si qua fides tellure sub ima.

Ecce,

Ecce, omnes nominat, sed tamen Superos praefert. Hinc et Aeneid. XII. imitatus Homerum, qui in iureiurando foederis Deos perjuriorum vindices inuocat, non omnes Deos posuit, vt Homerus, sed Iouem unum praetulit:

Audiat, inquit, haec Genitor, qui federa fulmine sancit.


Quem versum Scholiares respexisse videtur. Vide Turnebum *Aduers. Lib. XXV. c. 9. p. 13. Tom. III. edit. Paris.* Sunt vero Dii perjurii vltores. Quam in rem multa a multis notata sunt. Prae ceteris videndus Iac. Lydius in *Diss. Philol. de iureiurando* cap. postremo p. 337. 338. *edit van-Till.* Ut vero emendationis nostrae veritas magis elucescat, obseruandum est, Granium Flaccum ad eas tantummodo leges e Iure Papyriano commentatum videri, quae de sacris rebus agebant. Nam ipsa iuris Papyriani collectio magnam partem legibus ad ius Pontificium pertinentibus absoluiebatur, vt demonstrauit Io. Gottlieb Heineccius in *obseru. Hist. de iure Papyriano* §. VIII. p. 9. inter eius opuscula minora Amstel. 1738. iunctim edita: quam nolle, vir summus, et alieni non indigus, pene integrum illaudato plagio concinnasest ex Guilhelm. Grotii Lib. I. de *Vit. Iuris.* c. 1. supresso auctoris nomine. Hinc conjectura fieri potest, minime diuersum ab hoc commentario de Iure Papyriano esse eiusdem Granii Librum de *Indigitamentis* ad C. Caesarem conscriptum, cuius meminit Censorinus, vt visum fuit Wesselingio V. Cl. I. *Obseru.* 4. p. 13. Nam *Indigitamenta*, vt notum est, sunt *Libri Pontificales*. Vide Salmasium ad Solin. p. 51. Voſſium *Etymol.* p. 308. et de *idololatria* Lib. I. c. 12. p. 33. Tom. V. Opp. Ritterum ad Heineccii *historiam Iuris* p. 34. Obseru. Halenf. Tom. IV. p. 50. Oifelium ad Gellium p. 611. Quare fallitur Vinetus ad *Censorinum* p. 152. *edit. Hauer.* dum interpolationis suspectum habet Seruum, quando ad II. Georg. 21. *Indigitamenta libros Pontificales* exponit. Nam totidem verbis exponuntur in veteribus Glossis. Et *libri Pontificales* occurunt in Inſcriptionibus apud Gruter. p. CCCVI. 6. DLXXVI. 6. Vide *Obseruat. nou. Mifcell.* Tom. III. p. 124. Gellius autem Lib. XIII. c. 22. pro iis *libros Sacerdotum Pop. Rom.* citat. Ceterum non ignoror Seruii commentarios paſſim interpolatos esse. Quem enim habemus Seruum, nequaquam est doctissimus ille grammaticus integer, sed farrago variorum commentariorum in vnum confarinata, vt obseruauit Fabricius *Bibl. Lat.* Tom. I. p. 232, et ante illum Barthius *Aduersar.* L. XI. c. 2. p. 514. et L. XXVI. c. 16. p. 1271. praecipue vero Tanaq. Faber. *Epift. Crit.* L. I. ep. 50. p. 168. et ep. 62. *Iufi Obſf. Crit.*

p. 210. quorum doctissimis obseruationibus et nos addere quaedam possemus, si iam id ageremus. Hinc patet, quam iniqua, quamque temeraria sit viri docti in Seruium censura, qui in *Memoires pour l'Histoire des sciences, et des beaux arts* Tom. V. p. 7. (Amsterd. 1703. 8.) haec scribere non dubitauit: „Servius commentateur de Virgile est le moins estimable des anciens commentateurs. Soit ignorance, soit credulite, il est rempli de faits reconnus pour faux. „Non inscita, non credulitas eas Seruio eruditissimo Grammatico plagas inflixit, sed recentiorum Grammaticorum manus: quod Seruio ipsi imputare velle, hoc demum non ignoscendae inscita est. Vnus audiatur Turnebus *Advers.* L. XXV. c. 9. *Stio*, inquit, *plurimum semper Seruio esse tribuendum*. Et praeclare de eo sentit Henricus Stephanus de *Abyisu linguae Graec.* p. 78. Sed ad rem. Ius igitur Papyrianum, vt diximus, leges potissimum sacras complectebatur. Quin imo solas leges sacras a Papyrio suis colleetas existimat Ritterus V. Cl. ad Heinecc. *Hist. Iur.* §. XVII. p. 33. seq. eumque secutus Bachius in *Hist. Iurispr. Rom. Lib. I. c. I.* p. 12. et vir omni eruditionis laude ornatissimus CAR. ANT. MARTINI in *Ord. Hist. Iur. Ciu.* p. 36. Velle tamen, ut doctissimus Ritterus, dum sententiae suae stabilienda studet, Pomponii fidem non adeo depressoisset. Quamuis enim aliquando errasse deprehendatur, nonadeo tamen spernendus auctor est; siquidem eum ab historiae doctrina pluribus commendat Iac. Gothofredus in *Dissert. ad L. Barbarius* §. 7. p. 532. Opp. min. Quantam etiam in historicis Pomponio nostro fidem habendam esse censuerit vir immortalis Iac. Perizonius, intelliges ex eius *Dissert.* VII. §. 9. Opusc. p. 699. Et merito eius historiam *luculentam* vocat Dodwellus, *Praeleft. Cambden.* VIII. c. 2. p. 320. Vberrime vero Pomponii caussam egit ampliss. Bynkershoekius in *Praefat. ad Praetermissa* ad L. 2. π. de *Or. Iur.* et in ipsis *Praetermissis*. Ut vero et hoc Corollarii vice addam, miseret profecto nonneminis, qui nuper in suis ad XII. Tabulas *Tentaminibus* p. 37. non veritus est scribere: „Recte equidem Decemviri publica, privata, ac sacra iura discreuere, ne qua confusio oriaretur. Id adeo in ipsis olim Regii legibus obseruatum fuerat, quo procul dubio spectant illa Horatii *Art. Poet.* v. 397. *fuit haec sapientia quondam &c.* „et quae sequuntur nemini non notissima. At o bone, si totum locum legisses, vidisses agere ibi Horatium de temporibus illis, quae Homerum anteceſſere, non de Regiis; vnde quam a vero aberraueris, tute ipſe intelliges. Postremo quod attinet scripturae mutationem in loco Scholiaſtae a nobis reſtitu-

stituto, eam minimam esse quius facile videt: siquidem magna est adfinitas litterarum E et F, vt vnico apice inter se differant, vnde saepius confunduntur. Quin imo *Flacci* nomen eodem modo corruptum arbitror apud Iunium Philargyrum Virgili commentatorem. Proferam locum, vt, quid de eius restitutione censeam, aperiam. Sic ille ad *Georg.* Lib. II. v. 381. *Compita ut Relatio* placet, locus ex pluribus partibus in se, vel in easdem partes ex se via atque itinere dirigens.* Nomen *Relatio* depravatum esse, nemo non deprehendit. C. Barthius *Aduers.* Lib. XXV. c. 20. p. 1253. mire in hoc loco sanando se torquet, modo *Latacium* scriptorem *rerum reconditarum* substituens, modo *Martium Salutarem* Virgili interpretem. Quarum coniecturarum neutra admitti potest. Neque enim *τε compiti* explicatio ad res reconditas pertinet, quod est de priori emendatione. Quod vero secundam attinet, quis non videt, quam immanis sit scripturae mutatio? Aliter hunc locum tentat Io. Gerh. Vossius *Etymol.* p. 178. Tom. I. Opp. vbi Philargyri verba adserens strictim monet legendum esse *Trebatio*: quae correccio licet ab litterarum ductibus non multum recedat, quia tamen nullo fundamento nititur, merito reiicienda videtur. Vbi nempe hoc tradiderit Trebatius, nemo facile assequatur. An certius aliquid attulerim, iudicent eruditii. Suspicio enim *Verrii Flacci* nomen reponendum esse, et pro *RELATIO* scribendum esse *VER. FLACCO.* Est hic celebris ille Grammaticus, de quo Suetonius de *illust. Grammat.* c. 17. p. 379. quiq[ue] freqenter veteribus scriptoribus et grammaticis citatur, quorum catalogum contexit Vossius I. de *Art. Gram.* 5. p. 8. Tom. I. Scriptis vero is libros de *Verborum significacione*, vti notum est ex Gellio V. 17. et 18. Ex quibus etiam videtur esse, quod idem Gellius citat XVI. 14. nec non XVIII. 7. atque in his valde est verisimile, eum, quid sint *compita*, explicasse. Idque Lib. III. cum, vt ad Gellium obseruauit Gronouius p. 336. Verrii libri illi per alphabetum fuerint digesti, ita, vt vnumquemque librum singulae constituerent litterae. Neque vllum mihi dubium est, mancos esse Pauli carnificis manu Festi codices Lib. III. vbi *Compitalia Festa* quae sint, docet: omnino enim verisimile est, eum, quid ipsa *compita* sint, ex hoc Verrii loco explicasse. Mendum natum esse videtur ex compendio *VER. pro VERIO.* Sic autem citari solium hunc Grammaticum, testis Festus in *Ricinium.* Vide Lipsium *Epist. Quæst.* Lib. I. Epist. 7. p. 147. Tom. I. Opp. Ultimo loco, quod ad illud Verrii Flacci fragmentum apud Philargyrum attinet, minime audiendus Barthius loco superius cit. dum pro *ex se via atque itinere dirigen*s,

corrigit: *ex semita atque itinere*; quae manifesta corruptio est, et locum alias perspicuum omni sensu priuat. Hoc enim vult Verrius, *compitum* esse viarum plurium concursum: hoc est, locus dirigens ex pluribus partibus in se, vel etiam ex se in easdem partes diuersas dirigens. In quo quis enim viarum centro, iisdem viis, quibus ad illud tenditur, iisdem etiam ab eo redditur. Idque confirmat Varro Lib. V. de LL. vbi *compita dicta* ait *loca*, *vbi viae competunt*. Quae loca Grunas vocata fuisse, auctor est Nonius. Grunae, inquit, *sunt loca media, in quae directae quatuor congregantur, et conueniunt viae*. Ex quibus verbis plenius intelliges, quid sibi velit Verrius. De hisce Grunis plura vide apud Petrum Pithoeum Subf. L. II. c. 14. Scaligerum ad Festum, et P. Merulam ad XVII. Annalem Eimi, si recte memini. Atque id verissimum et apertissimum est. Itaque aliud agebat vir magnus. Qui tamen vir omni laude dignissimus ob tam egregia fragmenta e scidis suis cum orbe literario communicata: quorum pretium ex his, quae hoc capite, nec non VII. et VIII. harum obseruationum differuimus, licet aestimare. Atque vtinam alter *aduersariorum* Tomus lucem adspexit! quam multa docuisset nos vir ille sacrae, profanaeque antiquitatis peritisimus! Sed latet ille in tenebris, feruaturque tineis, blattisque: fortassis etiam aliorum plagis. Emendandus enim est error, in quo multi viri docti versantur, centum illos, et viginti *aduersariorum* libros iam pridem periisse haeredum vel negligentia, vel malignitate. Ita scribit Mollerius in notis ad Morhofii Polyhistora, Tom. I. p. 926. citatque Christ. Daunium amicorum auctoris intimum, qui de hac iactura in scriptis et epistolis suis passim conqueritur. Idem alicubi conqueritur Morhoffius. Sed falso rumor ille percrebuit. Nam Fridericus Guilielmus Roloffius ad Io. Alb. Fabricium scribens d. 15. Cal. Febr. 1735. Barthii CXX. *ineditos aduersariorum libros se Halae euoluuisse testatur*, vti habetur apud Reimarum in vita Fabricii p. 331. Confirmat mihi hoc doctissimus CASPERIVS, qui testatur, se cum ante aliquot annos in Saxonia degeret, intellexisse extare Tomos illos ineditos: verum non inuentum ad eam diem bibliopolam, qui libri editionem suscep- ret. Caufsa, cur Tomus alter non prodierit, duplex fuit. Primum enim, cum Barthius *aduersariorum* suorum editionem viro cuidam erudito supremis tabulis demandasset, haeredes altercationibus suis cum illo viro id irritum effecerunt. Hoc disco ex epistola quadam Nicolai Heinsii ad Carolum Datum scripta anno 1661. inter *epistolulas* claro-

clarorum Belgarum ab Io. Targonio V. Cl. editas Tom. I. p. 260. Altera caufa nimia libri moles. Io. Georgius Graeuius ad Magliabecchium in eodem Tom. I. p. 302. „Ex Germania significant duos Tomos „Aduersariorum Casp. Barthii esse repertos, et in eorum manibus versari, qui illos offerant edendos, si quis hanc operam iis nauare velit. „Sed ab asiatica hac mole abhorrent omnes: singuli enim Tomi „non cedunt pondere illi edito. „ Scribebat haec Graeuius anno 1691. Ex quibus etiam rumor ille falsitatis arguitur.



C A P V T XII.

Auctor anonymous veteris elegiae emendatus. Tonitru de crepitu ventris. Tonitru de verbis. Aldbelmus aduersus emendationem I. Friderici Gronouii V. C. vindicatus.



*t animum interdum soluere nemini vitio datum est; ita veniam me ab aequo lectore impetraturum confido, si sepositis paullisper grauioribus disquisitionibus, de ludicro aliquo arguento verba facturus sum. Auctor incertus veteris Elegiae, probae me hercule, et elegantis, quam publicauit Barthius *Adu. rs. Lib. XLV. c. 16. p. 2095. seqq.* enumerans varia hominum studia, cum ad Poetas ventum est, sic ait vers. 18. seqq.*

Ille tamen Vatis titulum, nomenque Poetae
Mentitur, vacuum nomen ab arte gerens:
Cuius ubi releges fine mente sonantia verba,
Ceu crepitus ventris turpis in aure sonant.

Miror nihil Barthium ad *rd* sonant notare: atqui facile quis videat, nullo modo id ferri posse ob illud, quod proxime antecedenti versu est, *sonantia*. Quare depravatum esse locum hunc vero mihi videor posse adfirmare. Vna littera immutata et lectionem, et leporem, quem hic manifesto quaesuit auctor, restituo. Nisi enim me omnia fallunt, scripsit Poeta:

*Cuius ubi releges fine mente sonantia verba,
Ceu crepitus ventris turpis in aure tonant.*

* *Tonare festiu de crepitu dicitur. Est hanc in rem insignis Ariostophanis locus in *Nubibus*, vbi non solum graueolentium horum tonitrum meminit, sed et eorum sonum confictis pro arbitrio verbis exprimere fategit festiuissimus morio. Eum locum adduxit Emmam Martinus V. Cl.*

Cl. in lepidissima, simulque doctissima oratione pro crepitu ventris recusa ad calcem Tom. II. Epistolarum eiusdem p. 260. Adposite hue facit Hieronymus Lib. XIII. *Comment. in Esaiam.* Innuens enim lepidam Horatii narratiunculam I. Sat. 8. *Horribile*, inquit, et formidolosum fuit bortensis apud Horatium Dei diffissa nate tonitru, quo decusfi Canidiae dentes, et exturbatum Saganae calendrum. Vides iam, opinor, lector, quanto cum false dicat Poeta:

Ceu crepitus ventris turpis in aure tonant.

Vides etiam, quanta cum elegantia dicat verba tonare. *Tonare* enim, et *tonitru* de verbis usurpat. Prius frequentius occurrit. Sufficiet proferre Propertium Lib. IV. Eleg. I. ad finem:

*Tum mibi pauca suo de carmine dictat Apollo,
Et vetat insano verba tonare foro.*

Posterius rarius occurrit: de quo sequentia exempla mihi sunt obseruata. Hildebertus Cenomanensis vetus Poeta christianus, cuius Poema de martyrio S. Agnetis edidit Barthius Lib. XXXI. *Aduers. c. 13.* p. 1451. seqq. sic ait cap. V. de Iudice.

*Lenit, et increpat hanc, modo blanditur, modo terret,
Nunc pluit ille preces, nunc tonat ille minas.
Sed neque rore precum siuceras polluit aures,
Nec mentem tonitru concutit ille suo.*

Io. Sarisberiensis Policrat. Lib. IV. c. 4. f. 72. *Nunquid quaeſo nulla lege arctatur, quem lex iſta perſtringit?* Haec vtique diuina eſt, et impune ſolu non poterit. Singula verba eius, ſi ſapiant, in auribus Principum tonitrua ſunt. Aldhelmus de laudibus Virginitatis c. II. Sed fas diuinum vetat catholicæ fidei pediſsequas plus quidpiam, quam canonicae veritatis censura promulgat, credere, et cetera apocryphorum deliramenta velut horribilis verborum tonitrua abdicare. Vir ſummus Io. Fridericus Gronouius illa verba: *horribilis verborum tonitrua*, mendosa eſſe exiſtimat, et pro verborum legit, errorum, obſeruationum in *Scriptores Ecclesiasticos* c. 4. p. 49. Verum pace dicam viri praefantissimi, in hoc vehementer fallitur. Nam tonitrua verborum ſunt verba ab haereticis prolata, quae in auribus Christianorum horridum ſonant non fecus, ac tonitrua. Hic eſt ſensu huius loci. Qua de re ne dubitare quidem ſiunt loca illa ſupra a nobis producta. Hanc autem dicendi venerem Latini a Graecis ſumere,

fere, apud quos βροτέων, tonare, usurpatur de iis, qui concitate loquuntur: vnde Italorum brontolare originem habet. Qua de re adeundus Petrus Victorius Lib. XVIII. Var. Lect. c. 14. p. 277. Dicuntur et Oraatores tonare: quod de Pericle dixit Eupolis vetus Poeta, et de Demosthene ex Cicerone, Fabio, et Longino perulgatum est. Eodem elogio Prohaeresium, celeberrimum illum Sophistam, ornauit Gregorius Theologus in Epigrammatis, quae publici iuris fecit Cl. Muratorius inter anecdota graeca, Epigr. I. vocans illum βροτήν νεόκτυπον:

Βροτήν ατ-θις ἔνειμε νεόκτυπον: ἀλλὰ σοφισῶν

Πᾶν γένος ὑψηλόγων ἔπει προαιρεσίω. i. e.

Tonitru Attica recens-streperum tulit: Sophistarum vero

Vniuersum genus magniloquorum cedebat Probaeresio.

His adfine est, quod docet Besselius. *Miscell. Philos. Crit.* c. 3. §. 6. p. 24. Procellam usurpari de concitato, et vehementi sermone. Quo modo vocum turbas dicit Gellius IX. 15. Turba enim est procella, ut strixim obseruabat Aegidius Menagius Amoenit. *Iur. Ciu.* c. 39. p. 389. et plenius docent Commentatores ad Propertium Lib. III. El. 3. p. 590. splendidae editionis a Cl. Vulpio curatae.



CA.

C A P V T X X I I I .

M. Terentii Varronis Fragmentum restitutum, nouaque luce perffusum. Regis temporibus parua delubra. Phil. Rubenius notatus. Iustus Ryquius refutatus. De Varronianis Fragmentis. LANI CASPERI. V. Cl. meritissimum encomium.



Inter Romanae magnitudinis argumenta non ultimum locum obtinent tot et tam magnifica aedificia Deorum honori dicata. Postquam enim ingens illa peregrinarum Diuinitatum turba in ciuitate recepta est, crescente luxu, totidem iis templo superbissimi operis prodigiosis sumtibus sunt constituta. Quia quidem in re longe longeque ab antiqua simplicitate deflexerunt Romani. Priscis enim temporibus exiguis tectis Deos suos cohibebant. Testis huius rei est Tibullus, cum ait *L. I. Eleg. 10. v. 19.*

*Tunc melius tenuere fidem, cum paupere teēto
Stabat in EXIGVA ligneus AEDE Deus.*

Eandem rem testimonio suo confirmabat omnis antiquitatis per-

tissimus M. Varro, si per librarios, et criticos licuisset. Si quidem ex eius libro *I. de vita populi Romani* hoc fragmentum feruauit nobis Nonius Marcellus in *aedis* p. 494. *Haec aedis, quo nunc est, multis annis post facta sit inq. omnia regis temporibus delubra parua facta.* Sic editio Parisiensis, quae cum notis prodiit A. 1614. His nullus ineft sensus, vt primum est animaduertere. Aliae editiones pro *inq.* habent *in qua.* Ego scribendum arbitror vna littera transposita: quia *omnia regis temporibus delubra parua facta.* Perspicua emendatio. Loquebatur Varro de maiori quodam templo: exorta autem quaestione de eius antiquitate, hanc aedem, inquit, oportet multis post reges annis fuisse aedificata, quia regis temporibus nulla tam magna aedificia, sed omnia delubra parua facta sunt, id est *aedificata:* hoc enim Varroni est *facta*, quod innumeris

Iusti Obs. Crit.

F

exem-

exemplis docere possem, si opus esset. Vnde pueriliter lapsus est Philippus Rubenius, quando Lib. I. Elect. c. I. in loco Varronis L. IV. de Ling. Lat. p. 35. vbi est: *Terram, unde excalperant, fossim vocabant, et introrsum factum, murum, emendabat, introrsum iactum.* Ita ni fallor, plana, et aperta est Varronis mens. Enim uero altius inquirere quid prohibet? Fallor? an loquitur Varro de Capitolio *nouo*, illudque longe recentius ait *veteri?* suafit id nobis Varro ipse L. IV. de LL. p. 38. edit. Amstel. *Capitolium vetus*, inquit, *quod ibi facillum Iouis, Iunonis, Mineruae.* Et id antiquius, quam aedis, quae in Capitolio facta. Fuit autem *vetus* illud Capitolium a Numa conditum, et valde humile, atque exiguum, ut pluribus docuerunt Lipsius Lib. III. de magnit. Rom. c. 5. p. 429. Tom. III. Opp. et Iustus Rycquius de Capitol. Rom. cap. 8. p. 29-seq. Nouum vero a Tarquinio fuit extrectum, adeoque multos post annos. Haec igitur videtur esse sententia Varronis. Haec aedis vbi nunc est, nempe *Capitolium nouum* in monte Tarpeio, multis post *vetus* annis erecta est. Quod inde colligitur, quod recens illud stupenda est magnitudinis: at regiis temporibus, Numae puta, qui *vetus* condidit, nulla adeo ingentia templa, sed omnia delubra parua facta. Aliter locum hunc Varronis accepit Rycquius de Capit. Rom. c. 12. p. 44. Existimat enim agere Varronem de Tarquiniano Capitolio, per *delubra* autem accipit cellas, sive *omne* Iouis, Iunonis, Mineruae in eodem Capitolio. Sed hercule fallitur. Nam Varronis verba ita mendoza, et manca produxit: *Haec aedis, quae nunc est, multis annis post facta fuit, in qua omnia regis temporibus delubra facta sunt.* Vides omisssam vocem *parua*, ex qua totius loci sensus dependet. Deinde si de tribus illis cellis intellexit, cur dixit *omnia?* Regis vero cum scribit, et de Tarquinio intelligit, plane rugatur: quis enim *vnquam* fando audiuist, regis nomine per excellen-tiam venire Tarquinium? ad haec cur dicat *Regis* temporibus cellas in illa aede factas, quasi vero non ipsa aedes a rege constructa fuerit? Vides longe obscuriorem intricatioremque euadere Rycquii interpretatione Varronis locum, quem nos transposita littera clarum reddidimus. Varronis fragmenta, quae ingenti numero iunctim exhibentur ad calcem editionis Amstelodamensis A. 1623. 8vo. nemo haec tenus, quod sciam emendare, et constituere, atque illustrare est aggressus. Nec mirum, opus enim esset summe arduum, et cui non nisi Scaligerorum, aut Salmatiorum nomina essent paria. Plura sparsum restituta sunt a viris doctis: Scaligero ad libros de Lingua Latina, et ad Festum: Iusto Lipsio in antiquis, et in variis Lectionibus, nec non in Epistolicis Quaestionibus, atque aliis passim.



passim. Spem quidem fecerat Ludouicus Carrio ad Gellium p. 102. edit.
Iac. Gron. ea colligendi, atque edendi „ operis, inquit, rerum humana-
„ rum distributionem tum dabimus, cum *XLI.* librorum fragmenta suum
„ in ordinem quoad eius fieri potuit restituta publicabimus. „ Et nihil
sane non egregium ab illius viri diligentia, et eruditione expectari pote-
rat. Verum hoc promissi limites non excepsit. Eset autem id opus sum-
mam vtilitatem habiturum. Ita Ciceronis fragmenta Carolus Siganus,
Ennii Hieronymus Columna, Lucilii Douza, aliorum antiquorum Poe-
tarum Vossius, veterum Historicorum Ausonius Popma, Iurisconsulto-
rum Schultingius, Maecenatis Meibonius in vita *Macen.* cap. 23. et seqq.
Augusti Rutgersius Lib. II. *Var. Lect.* c. 14., P. Nigidii Figuli idem
Lib. III. c. 16. Sapphonis Wolfius, Menandri Comici Io. Clericus, Tyr-
taei nuperrime Chr. Adolphus Klotzius V. Cl. collegerunt, atque illu-
strarunt. Ita vir mea laude maior *IANVS CASPERIVS* Messallae fra-
gmenta omnia summa industria conquisuit, atque disposuit, vt ex eo di-
dici, et testatur ipsemet in Dissertatione quadam MS., quae apud me
est. Vtinam vir eruditissimus fragmenta illa vna cum *Commentario de vi-
ta, et rebus gestis M. Valerii Messallae Coruini* orbi litterario non inuideret!
quam multa, quam egregia ille nos doceret, quae viros quoscumque do-
cuisse latuerunt! Optandum etiam esset, vt reliquas in Xenophonte
Ephesio Obseruationes, quarum spem fecit in *Dissert. de Xenoph. Ephes.*
§. 5. vna cum aliis praestantissimi ingenii sui foetibus apud se diutius non
premeret. Quanta enim, Deus bone! est viri in omni antiquitate peri-
tia, quantum iudicij acumen, quantus in scribendo lepos, et elegantia,
natiusque orationis nitor, et quidam veluti Romanae vetustatis color?
Quanto nuperrime eloquentiae, atque eruditionis apparatu antiquitatis,
et Philologiae causam perorauit aduersus stolidos earum osores, et scio-
los? Sed praestat stilum ab illius laudibus cohibere, quam easieiuna ora-
tione persequi.



CAPUT XIV.

Minucius Felix post virorum doctorum conatus restitutus. Solatia malorum rediuiua quid Minucio? Petrus Rigenis emendatus. Transfigi vulnere.


 Dificillimus habitus semper est sequens Minucii locus de perfec-
 cutionibus Christianorum *Oτ. c. 8. p. 80. edit. Ouzel.* vbi
 Caecilius ita Christianos incessit: *Prob mira stultitia, et incredibilis*
audacia! spernunt tormenta praesentia dum incerta metuunt et futura:
 et dum mori post mortem timent, interim mori non timent. Ita illis pauor,
 et fallax spes solatio rediuiuo blanditur. Ita vulgati codices. Codex re-
 gius habet: *Ita illis pauorem fallax spes solatia rediuiua blanditur.* Ea ver-
 ba quin deprauata sint, nemini paulum eruditiori dubium esse potest. O-
 peram luit Heraldus, dum vulgatam tueri annis est: nunquam enim
 pauor alicui blandiri potest. Sunt, qui MStam illam lectionem recipi-
 ant, vt Rigaltius, et vir doctus in *Observat. Miscellaneis* Vol. I. Tom. I.
 p. 27. Sed lectio illa mire implicata, et obscura est. Ouzelius corrigit:
Ita illis pauorem fallax spes solatio rediuiuo blanditur. V. Cl. in laudatis
Observ. Miscellan. p. 26. *Ita illis laborem fallens spes solatia rediuiua blandi-
 tur.* Alius ibidem: *ita illis pauorum fallax spes.* Quae omnia conatum
 quidem ostendunt eruditorum in Minucio restituendo, nullam tamen illi
 opem attulisse arbitror. Ego vero inhaerens codicis regii scripturae mi-
 nima mutatione lego: *ita illis malorum fallax spes solatia rediuiua blandi-
 tur, vel solatio rediuiuo:* quod eodem recidit. Planissimo sensu, atque
 simplicissimo. Omnia, inquit, mala pati, atque etiam mori non timent,
 quoniam illis spes beatioris vitae, quamuis ex mente Caecilii fallax, ma-
 lorum solatia blanditur, i. e. sperare illos iubet. Scilicet praesenti hac
 vita in testificanda fide absunta, postquam feliciorem erunt indepi, per-
 pessorum malorum solatia reperient. Existimabant enim fidissimi reli-
 gionis nostrae testes, et *λγωνισαι*, dum mortem pro Christo paterentur,
 in vitam potius migrare, quam mortem pati. D. Athanasius *Orat. III.*
 con-

contra Arianos, Tom. I. p. 606. edit. Parif. O! τε ἄλλοι ἄγνοι μάρτυρες
 ἔτως ἐθάρρεν, ὡς μάλλον νομίζει, ἀντοῖς εἰς ζώνην μεταβαλνεν, ἢ θάνατον
 ὑπομένεν. i. e. Alii adhuc martyres tanta fuere fiducia et fortitudine, ut se
 posuerit in vitam migrare, quam mortem pati existimarent. Vides, Lector,
 quae sint solatia illa malorum rediniua. Vides etiam, minus recte scri-
 bere virum doctum in laudatis Observationalibus: „ sed oportuisset ali-
 „ quid praecedere circa spem melioris vitae, quam Christiani fouebant.
 „ Forsan vnum, pluresue versus perditu sunt. „ Nam Minucii verba,
 vti a nobis emendata sunt, perfectissimum sensum continent. Locus hic
 Minucii reuocat mihi in mentem alium Petri Rigenis de persecuzione
 Hebraeorum Amano procurante indicta, qui legitur in eius scriptoris
 παραφράσει libri Hesler, publicata a Barthio XXXI. Aduers. 15. p. 1458.
 Ibi haec leguntur vers. 100.

*Igne perire, pati ligni suspendia, tundi
 Verbere, transfigi verbere, scripta docent.*


Caecum esse oportet, qui illa *transfigi verbere* corrupta esse non
 videt. Nullum enim sanum sensum efficiunt. Omnino legendum vide-
 tur:

— — *Transfigi vulnere.*

Erroris causa oscitanti librario exstigit τὸ ὅμοιωτέλευτον vtri-
 usque vocis. *Vulnere* autem, id est, telo, imitatione Virgilii, quem
 eius aeuī scriptores non raro exprimunt. Sic autem ille *Aeneid.* II. 529.

— *Illum ardens infesto vulnere Pyrrhus*

Infequitur.



CAPUT XV.

Desperatus Manilius locus de luxu Romanarum mulierum emendatus, atque explicatus. Casp. Geuarti absurdaria emendatio, et explicatio explosa. Cypriano lux. Defensa lectio Pauli in L. 3. n. de suppelli. leg. Imperium. Iac. Cuiacius et Iosephus Scaliger notati. De auro scutis. I. Pontani, et Tb. Dempsteri error. Vulgata lectio apud Iuuenalem ab eorum vi critica defensa. Scriptum aurum. Grammaticus vetus Barthii emendatus.



*D*e Romanarum mulierum luxu locus est conclamatus Manilius Astron. Lib. V. v. 516. seqq. vbi, postquam oriente cum Aquario Cassiopeia aurifabros, bracteatores, et aurilegulos nasci dixit, ita grauissime, et elegantissime canit:

*Hinc lenocinium formae, cultusque repertus
Corporis, atque auro quaesita est gratia frontis,
Perque caput duclii lapides, per colla, manusque,
Et pedibus niueis fulserunt aurea vincula.*

- * *Quid potius matrona velit tractare creatos,*
- * *Quam factum reuocare suos quod possit ad usus.*

Mire in postremis duobus versibus se torquent eruditii. Ios. Scaliger, Criticorum ille princeps, in priore editione *creatuum* emendabat, hoc modo:

*Quid potius matrona velit tractare creatum
Quam factum etc.*

Et existimabat opponi a Manilio duo illa *creatuum*, et *factum*, totumque locum ita explicabat: Quid est, quod creato potius, quam facto vt velit matrona ad ornatum? quasi hoc velit poeta: matronam non tam

tam manibus versare gemmam ita, vt a natura edita est, maauult, quam ab artifice auro inclusam gestare. Verum Scaliger ipse in postrema hu-
iis poetae editione interpretationem suam damnans, duos hosce versus
spurios esse existimauit, nullamque idoneam sententiam ex illis elici posse
adseruit: „ Portentose , inquit in suis Commentariis , hi duo versus de-
„ formati sunt. Non videntur esse Manilii. Nemo fanus ex istis bo-
„ nam sententiam eruerit. „ Franciscus vero Iunius opponi putat *creat-
„ os vsus, suis vsibus*. „ *suos vsus*, ait, appellamus iustos, qui ex rerum
„ natura, conditione, et modo adhibentur; *creatios*, qui praeterea accer-
„ suntur, abundantque re et modo. „ Quae sane refutatione non indi-
gent, vt apparebit ex iis, quae dicturi sumus. Post hos vnicum se huic
loco Aesculapium magno hiatu professus est Casp. Geuartius Lib. II. Elect.
c. I. p. 47. seqq. Postquam enim Scaligeri, Iuniique sententias retulisset,
reieciſſetque, sic ait: „ Vide, imo ride, mi lector, fluctus in simpulo
„ excitati sunt, non in mari. Vnica tantum litterula abundat. Pro factum
„ lege fatum , et res clara erit hoc modo:

„ Quid potius matrona velit tractare creatos,
„ Quam fatum, reuocare suos quod possit ad vsus.

„ Sensus verborum hic est. Ecquodnam fatum est, quod matrona potius
„ optet creatos ex se liberos, quam illud, quod ad suos vsus possit reuocare?
„ quasi dicat: omnes matronae Romanae optarent filios suos nasci sub hac
„ constellatione, vt ita fato suo ad aurisfrorum opificium exercendum de-
„ finirentur, et matribus suis in monilibus, gemmisque expoliendis in-
„ seruirent. Hic totius loci sensus est. „ Quis non stomachetur confi-
dentiam hominis, tam putidum, tamque absurdum commentum obtrude-
re non verentis? Ride tu potiori iure, Lector! quid enim, obſecro, hoc
monstri est? An deerunt opifices, qui matronarum cultui et vanitati in-
ſeruant, vt ipsae exoptare debeant, filios suos nasci adeo iratis Diis, vt
detrudi debeant in aurisfrorum officinas? Quis fanus sibi persuadere
potest, Romanis matronis in optatis fuisse, videre filios suos monilia,
gemmasque expolire potius, quam honoribus auctos rempublicam capes-
ſere? Esto hanc illarum fuisse sententiam. Dum puer crescit, vires ad-
quirit, artem addiscit, nonne elabitur matris iuuenta, quae maxime gau-
det lenocinio formae, et corporis cultu? Nonne interea mater fit anus?
Parcant Manilii manes Geuartio oscitanti, qui dum se illi lucem attulisse
gloriatur, tenebras offundit, ac magnis conatibus maximas nugas agit.
Th. Reinesius coniiciebat: *creatum, an factum*. Quod nihil est. Po-
ſtre-

stremo vir eruditus in *Obseru. nouis Miscellan.* Tom. I. p. 118. confidenter
rescrit:

*Quid potius matrona velit tractare toteutas,
Quam factum - -*

Hoc sensu: quid matrona quaevis potius velit, vt tractent toteutae, quam tale quoddam, quod ipsa in suos usus, et ornatus conuertere possit, si factum ab illis fuerit? sed praeterquam quod vocabula mere graeca non tam facile in textum sunt recipienda, illud obstat huic conjecturae, quod vox *creatōs* mendi suspecta esse nequit, cum satis manifeste τῷ factum opponatur, et *creatī* pro liberis Maniliana locutio sit, vt pluribus exemplis docuit Geuartiūs l. c. Praeterea, num tanta Romae ornamentorum penuria, vt matronae optare debeant, aurifabros solis monilibus, atque ornamenti incumbere? At contrarium manifeste constat ex Plinio, aliisque. Hi sunt in restituendo hoc loco virorum doctorum conatus. Nunc periculum faciamus, utrum felicioribus nobis esse contigerit, et conjecturam nostram referamus ad eruditorum senatum, si quidem haec nostra tanti sunt. Videtur nempe locus Maniliū una littera leuissime immutata ita in integrum restituendus:

*Quin potius matrona velit tractare creatōs,
Quam factum, reuocare suos quod posuit ad usus.*

Exponit Manilius Romanarum foeminarum nimiam ornandi libidinem, profusissimumque gemmarum, lapillorum, auri, argenteique studium. Tum subiicit: Quid ni vero, i. e. quid causae est, cur non potius filios ex se creatos tractare, educare, atque procurare velit matrona, potius, inquam, quam aurum, argentumque, aut quid aliud manu aurifaborum, bracteatorumque factum, et elaboratum, quod in ornatus sui usum conuertere possit? Cur rem manu factam creatis a se liberis, et proprio sanguini praeponit? siquidem matrisfamilias prima cura est liberorum, non ornamentorum. Quin vnicum matronae ornamentum sunt liberi. Celebris est Corneliae matris Gracchorum vox apud Valerium Maximum Lib. IV. c. 4. p. 365. *Maxima*, inquit ille, *ornamenta esse matronis liberos*, apud Pomponium Rufum Collectorum Libro sic inuenimus: *Cornelia Gracchorum mater, cum Campana matrona apud illam hospita ornamenta sua illo saeculo pulcherrima ostenderet, traxit eam sermone, quo usque e scola redirent liberi, et haec, inquit, ornamenta mea sunt. Ita apud Lacedaemonios comere se, aut aurum gestare feminis prohibitum, si fides Hera-*

Heraclidi περὶ πολιτεῖων p. m. 421. τῶν ἐν Λακεδαίμονι, inquit, γυναικῶν πόσμος ἀφίηται, ἔδει πομᾶν ἔξεσιν, ἔδει χρυσοφορεῖν. Non alia putto de causa, quam ut diligentius prolium institutioni vacarent. Statim enim subiicit, quanta cura filiis suis educandis incumberent. Merito proinde reprehenduntur a Manilio matres illae, quae prae corporis ornatu ipsos liberos habent despiciatui, atque omnino negligunt: si similes enim istae sunt iis, de quibus ait Seneca Epist. CXV. p. 652. edit. Lipp. Parentibus quippe, nec minus fratribus preferunt paruo aere emta monilia. Pari modo proxime antecedentibus versibus funestos luxus Romani effectus ingemiscit:

*Hinc Pompeia manent veteris monumenta triumphi,
Et quod erat Regum decus, id fuit vna malorum
Non extincta lues, semperque recens ea flammis.*

In luxum inuehitur etiam eiusdem libri v. 398. Iam quid hoc loco clarius, quid grauius, quid elegantius? Haec de sententia vniuersim. Nunc singula videamus. Quid pro quin saepius in codicibus irrepuisse docet Clericus Art. Crit. Tom. II. p. 114. 115. idque et Terentio, et Plauto restitutum iuit. *Creatos autem absolute pro liberis usurpare Manilium,* ipse Geuartius docet l. c. p. 49. et 50. *Factum autem proprie dicitur de auro, argenteo, opere et arte facto,* opponiturque *rudi*, vt obseruat Lipsius in notis ad Senec. de Tranquill. c. 11. p. 160. Vide et Varronem in fragmentis p. m. 33. et 61. Adde Cuiacium Lib. X. Obseru. c. 18. Hinc *auri facti* nomine aurum muliebre venit Vlpiano in L. 27. §. 4. π. de aur. et arg. legat. et Paullo L. 32. §. 1. eod. Ino Manilio ipfi hoc eodem loco vers. 535.

Et facti mercator erit per utrumque metalli,

Nempe aurifaber. Quemadmodum vero aurum ornamentis destinatum a faciendo factum adpellatur, ita laboratum a labore, qui insumitur in eo confiendo. D. Cyprianus de lapsis c. 25. accipere pretiosa ornamenta, et monilia elaborata. Omnino verum est, quod ex MS. profert Gronouius Obser. in Script. Eccles. c. 3. p. 33. et monilia laborata. Nam quae magno artificio sunt confecta, dicta sunt laborata, a labore, quemadmodum ostendit Octavius Ferrarius Elect. Lib. I. c. 2. p. 6. Vnde et

Inisti Obser. Crit.

G

labra.



labrata, et *labarum* deducit contra Baronium et Salmasium: quod facit et Lindenbrogius in *Animadu.* ad *Amm. Marcellinum:* quamvis in alia omnia abeant Bulengerus de *Imperat. Rom. Lib. II. c. 12. p. 118.* Meur- fius *Gloss. Graeco-barb. voce λαυγίτον*, Cironius *Obseruat. Iur. Can. Lib. I. c. 14. p. m. 19.* Ulricus Obrechtus *Diss. V. p. 70. seqq.* et alii innu- meri. Porro haec ornamenta ex auro aut gemmis *imperia* sunt vocata. Paullus *L. 3. π. de supell. leg. Supellecili legata haec continentur: mensae, trapezophora, delpicæ, subsellia, scama, lecli etiam inargentati, culiculae, toralia, imperia etc.* Quam lectionem temere sollicitat par illud virorum, queis sol doctiores non vidit, Cuiacius atque Scaliger. Ille enim *Lib. X. Obs. c. 13. p. 311. impilia*, hic vero ad *Varronem de Re Rustica Lib. I. imparia* legit. At falli eos didici ex Paullo Colomefio, qui in *Obseruat. sacris p. 592.* hunc locum adducit ex *Arculphi Praesulis Galli libro de Loci sanctis*, vbi inter ornamenta muliebria recensentur pendentes, brachialia, dextroceria, murenæ, monilia, annuli, capitulares, cingella, irata, baltei, coronæ, imperium ex auro vel gemmis, et ornamen- ta plurima. Puto autem *imperium* fuisse vniones in monilia integra con- textos, aliis pretiosis lapidibus intersertis, ut caput, et membra tota eis tegerentur. De quibus locus est insignis Cypriani *Libro de Habitu Vir- ginum c. 11.* Nec *dislinctis*, inquit, *auro lapis*, et *margaritis* contenta serie, et numerosa compage digestis monilia instituit Deus, quibus ceruicem, quam fecit, abscondas, et operiatur illud, quod Deus in homine formauit, et conficiatur ad desuper, quod Diabolus adiunxit. Confer etiam Plinium *Lib. IX. sect. 58.* Et interferebant fortassis praeter gemmas etiam *no- mismata*; iis enim pro gemmis vtebantur, ut testatur Pomponius *L. 28. π. de vjfr. Nomismatum*, inquit, *aureorum vel argenteorum veterum, qui- bus pro gemmis vii solent, vjfructus legari potest.* Ad quam tamen le- gem vide Noodt *I. Probab. 5.* Erat autem opus hoc affabre distinctum et variegatum. De auro variegato obseruandum est, vehementer hallu- cinari Pontanum, dum ad *Macrobius p. 288. edit. Gronou.* aurum va- riegatum *scutulum* adpellatum fuisse contendit, atque inde *Iuuenalem cor- rigit*, vbi ait *Sat. VI. v. 202. p. 173. edit. Schreuel.*

— — — — *cum lance beata*
Dacus et scripto radiat Germanicus auro.
 rescribens : — — *et scutilo radiat Germanicus auro.*

Quod




Quod ita Dempstero arrisit, vt in suas ad hunc locum adnotatio-
nes transcripserit, nulla Pontani iniecta mentione. Sed et Pontanus, et
Dempsterus ea confuderunt, quae distincta oportuit. Nam *scutulum* est,
non quod variegatum est, atque orbiculatum, sed tenue, macrum, ma-
cilentum. Vide Festum, et Vossium *Etymol.* p. 531. Quod vero vt
aranearum telae variegatum, retiforme, atque orbiculatum est, id non
scutulum, sed *scutulatum* dicitur, eo quod *scutiforme* sit, i. e. orbiculis
confitans. Vnde *scutulatae vestes*. Qua de re adeundus idem Vossius
Etymol. voce *Scutum* p. 531. et voc. *vnda* p. 653. Prae ceteris vero
consulendus eruditissimus Harduinus *ad Plin. Hist. Nat. Lib. VIII. sect.*
73. p. 475. Tom. I. Ex quo patet, abuti Pontanum Plinii et Martialis
locis, in quibus non *scutulata*, et *scutulato*, sed *scutulata* et *scutulato* legi-
tur. Apud Iuuenalem igitur nihil immutandum. Quum enim iuxta Scho-
liastem agat de solidis nouae nuptiae pro virginitate deposita oblatis : fo-
lidos autem inscriptos esse nemo ignoret, cur non eos *scriptum aurum*
adpellet Iuuenalis, rationis nihil video. Sic *scriptus lapis* apud Tibullum
Lib. I. Eleg. 3. v. 53.

Quod si fatales iam nunc expleuiamus annos,
Fac lapis his scriptus stet super ossa notis.

Aurum autem pro numo aureo dici docet Salmasius ad Hist. Au-
gust. p. 209. edit. Parif. sed haec obiter. Ad Manilium redeo. Haec
habebam, quae ad lucem obscurissimo, difficillimoque loco affundendam
in medium proferrem. An rem acu tetigerim, iudicabunt eruditii. Sal-
tim emendatio nostra, si non ingenio, modestia certe se commendat. E-
go interim alegatis asteriscis, feralibus illis alti vulneris indicis, totum
locum ita legam :

Hinc lenocinium formae, cultusque repertus
Corporis, atque auro quaesita est gratia frontis,
Perque caput ducti lapides, per colla, manusque,
Et pedibus nivis fulserunt aurea vincla.
Quin potius matrona velit tractare creatos,
Quam factum, reuocare suos quod possit ad usus?

Ceterum de ornamentis seminarum aëtum fuse a viris doctis, quos
recensere opus non est. De comtu vero omnium diligentiam superauit
omnigenae eruditionis promus condus Dan. Wilh. Trillerus *Obs. Crit.*
Lib. IV. c. 15. p. 396 — 409. Vnum addam iis, quae de *Cosmetis* no-
tarunt Grotius *Flor. Spars.* p. 199. Trillerus *I. c. et Bynkershoekius Lib.*
V. Obsrv. c. 19. p. 67. corrigendum nempe hac in voce grammaticum
veterem, cuius excerpta quaedam edita a Barthio *Aduers.* *Lib. XXXVII.*
c. 12. p. 1691. sic ibi legitur: *cosmo*, *orno*, *vnde cosmebae*, *ornatrices*.
Emendo *Cosmetae*. Occurrit praeterea mentio *Cosmetae* in *Inscriptione*
quadam apud Muratorium in *Thesauro Inscriptionum*.



CA-

CAPVT XVI.

Horatius loco insigni explicatus, Interpretibus sepositis. De Horatianis Interpretibus iudicium.



Horatio emendando, atque restituendo operam suam contulerunt viri quique doctissimi, quos inter eminuit opera Dionysii Lambini, atque Laeui Torrentii; quorum alter selecta, copiosaque doctrina abundat, vnde eius Commentarii opus quanitius pretii merito vocantur a Cl. Vulpio Praef. ad Catull. p. 20. alter vero insuper accurato criterio, limatissimoque iudicio omnes, qui in Horatium scripserunt, prout mea fert sententia, longissimo interuallo post se reliquit; quamuis hanc laudem Lambino tribuat Menagius Amoenit. Iur. Ciuit. c. 31. p. 181. qua in re ei non assentior; sicut nec viro celeberrimo, et harum litterarum, si quis vñquam, peritissimo, accedere possum, existimanti Bentleii ingeniosam, et doctam audaciam pluris esse faciendam, atque tardam aliorum, et stupidam religionem. Verum haec alterius sunt loci. Ad Horatium ipsum ut veniam, proponam locum insignem ex Sat. Lib. I. cuius neque lectionem, neque sententiam viri docti adhuc videntur adsecuti. Legitur autem Sat. VII. v. 9. seqq. ex qua plusculi versus sunt adponendi:

*Ad Regem redeo. Postquam nihil inter utrumque
Conuenit. (Hoc etenim sunt omnes iure moleſſi
Quo fortes, quibus aduersum bellum incidit. Inter
Hectora Priamidem, animosum atque inter Achilem
Ira fuit capitalis, ut ultima diuideret mors
Non aliam ob causam, niſi quod virtus in utroque
Summa fuit. Duo ſi discordia vexet inertes,
Aut ſi disparibus bellum incidat, ut Diomedi*

SPECIMEN OBSERVATIONVM

*Cum Lycio Glauco, discedet pigrior vltro
Muneribus missis.) Bruto Praetore tenente
Ditem Asiam, Rupill et PersI par pugnat, vt non
Compositus milius cum Bitbo Bacchius; in ius
Acres procurrunt, magnum spectaculum eterque.*

Ita editur, et interpungitur constanter in omnibus editionibus. Locum hunc interiecta parenthesis nouem versuum obscurum, atque implicatum reddit. Vetus Scoliaestes Cruquii p. 383. ita explicat: *Jen-
fus est, omnes moleſti, id est calumniatores et maledici ſunt hoc iure, i.e.
banc potestatem ſibi vendicant, quo, quam habent viri fortes, inter ſe contendentes de gloria, qui tamdiu dimicant inter ſe, donec alter victor discedat.* Scholiaſten ſequuntur Lambinus p. 73. Torrentius p. 490. et in nouiffima editione ſua Io. Matth. Gefnerus V. Cl. p. 379. Nam Baxteri explicatio obscurior eft ipſo textu. Verum enim uero ſi *moleſti* de loqua-
cibus et maledicis accipiantur, praetereaque locus ita intelligatur, atque legatur, planum faciam, neque ſenſum, neque ὀμονοιας verbis Horatii conſtare. Quaeram enim a viris doctiſſimis, quomodo cohærebunt quaeſequuntur:

- - - *Duo ſi discordia vexet inertes,
Aut ſi disparibus bellum incidat, vt Diomedi
Cum Lycio Glauco, discedat pigrior vltro
Muneribus missis?*

An idem erit, ſi duo inertes inuicem diſſentiant, atque ſi duo inter ſe diſpareſ ſint, vt Diomedes, et Glaucus? Falso id. Nam ſi vterque iners eſt, quis dicetur pigrior? Imo cum moleſti eodem iure vtantur, quo fortes, quemadmodum inter fortiſſimos et pares, Achillem, et Hectorem capitale odium fuit, ita etiam inter duos inertifſi-
mos, et pares perpetua erit diſcordia. Haec ſi ad animum reducere, locumque penitus inſpicere velint eruditii, fatebuntur, nihil hic vidiffe interpretes. Vna littera eſt, quae has Venufino Poetae tenebras offudit, quas omnes dicto citius diſpellet emendatio noſtra. Proponam prius locum, quomodo legendum cenſeo, deinde quae ſit genuina eius ſententia, declarabo. Sic itaque legendum, atque interpungendum eſt:

*Ad Regem redeo: poſquam nibil inter utrumque
Conuenit (hoc etenim ſunt omnes iure moleſti*

Quo

Quo fortis, quibus aduersum bellum incidit (inter
Heclora Priamidem, animosum atque inter Achillem
Ira fuit capitalis, ut ultima diuidet mors
Non aliam ob causam, nisi quod virtus in utroque
Summa fuit) duo si discordia vexet inertes.
AT si disparibus bellum incidat, vt Diomedi
Cum Lycio Glaucō; discedet pigror, vltro
Muneribus missis.) Bruto Praetore tenente
Ditem Asiam, Rupill, et PersI par pugnat, ut non
Compositus melius cum Bitho Bacchius. —

Quorum versuum haec est sententia, et verborum ordo: Post-
quam exorta inter Rupilium, et Persium discordia, Bruto Praetore
Asiam moderante, inter vtrumque nihil conuenit, nec ullo pacto ea
rixa componi potest, ita belle pugnat inter se par Rupill, et PersI,
vt Bacchius cum Bitho melius non sit compositus. Quae interii-
ciuntur, pro ἀτολογίᾳ sunt, qua docet Horatius, quam ob causam inter
vtrumque non conueniat. Si enim, inquit, duos inertes vexet discordia,
vtrique (nam hoc valet *omnes*) eodem iure molesti sunt, quo fortis,
quibus aduersum bellum incidit. Nam quemadmodum inter duos fortis
ac strenuos, quales fuerunt Achilles et Hector, captales inimicitiae sunt,
nec alter quiescit nisi altero oppresso, idque ob summam in utroque vir-
tutem, ita duo inertes eadem pertinacia molesti, atque implacabiles sunt:
quoniam in his est summa inertia, vt in illis summa virtus. Contra vero
si disparibus bellum incidat, vt inter Diomedem, ac Glaucum, facili ne-
gotio tunc rixa componitur: pigror enim, id est, inferior cedet superio-
ri, muneribus etiam vltro missis. Hanc esse germanam huiusc loci sen-
tentiam, nemo, opinor, cui cor sapiat, in dubium vocabit. Ergo male
per *molestos* accipiunt maledicos, calumniatores, loquaces, cet. cum re-
ferendum sit ad *inertes*. Ergo perperam interpungitur, cum noua perio-
dus incipitur ab illis: *duos si discordia vexet inertes*. Ergo necessario pro
aut si disparibus bellum incidat, vna littera demta emendandum: At si dis-
paribus etc. leui quidem errore, sed qui Horatii mentem ita inuoluerat,
atque obscurauerat, vt ad hanc usque diem a nemine interpretum, quan-
tum quidem mihi innotuit, potuerit deprehendi. Sed et alia sunt in eo
scriptore a nobis animaduersa, quae in tanta commentariorum farragine
perperam tractantur, quaeque in aliud tempus reiiciimus!

C A P V T XVII.

*Viri celeber. Ludouici Ant. Muratorii vera laus. Idem bis reprehensus.
AVLA pro coelo. Heinsius defensus.*



Ludouicus Antonius Muratorius aeternum fuit Italiae nostrae ornamentum, neque quisquam facile hac aetate repertus est, qui cum eo de laude eruditio[n]is sive sacrae sive profanae posset contendere. Fidem huius rei faciunt certissimam tot et tam praeclara ingenii monumenta, quae Muratorii nomen immortalitati consecrarunt. Cum vero homines quique maximi homines tamen sint, haud mirum videri debet, si viro doctissimo quaedam interdum exciderint, quae ad examen reuocata cum veritate confitare haud videantur. Cuiusmodi sunt duo, quae hoc capite proponam. Quae dum noto, non id mihi consilii est, vt aut quidquam de viri incomparabilis laudibus demam, aut nescio quam gloriolam aucuper, quo in genere nimium quantum passim peccatur. Longe ab illa absimus; Sed potius ut lectores admoneam, quanta cautela in scribendo nobis fit procedendum, dum et illi haud raro labuntur, a quorum doctrina tantoper distamus.

In *Thesauro inscriptionum p. MDCCCLXVII. n. 18.* profert hanc inscriptionem Romanam:

VOLVMNIAE. ISIACAE.
OSSA. SVB. HAC. LAPIDVM. FELICIA. MOLE. OVIESCVNT.
SACRA. ANIMAM. INNPCTAE. VIR GINIS AVLA. TE NET.

Ibi haec notat V. Cl. „ Si *aulae sacræ* nomine coelum signifi-
„ catur, insueta vox est. Si templum aliquod, longius etiam ab usu
„ deprehendas animam ibi habitationem fixisse. Num Christianæ virgi-
„ nis

„ nis est tumulus ? at nomen Ethnicam indicat, fortasse etiam sacerdotem Ifidis. „ Haec ille. Verum enim uero, vt dicam quod sentio, hallucinatur vir maximus. Omnino *aula* hic coelum significat, et frustra aliae interpretationes quaeruntur. Laetantius ecce in carmine *de Christo*, quod plurimis in locis sua lectioni restituit Barthius Lib. XXXII. *Adu.* c. 2. p. 1467.

*Purpuream donec post ultima fata relicto
Corpore, sublimes animam revocabit ad auras
Gratia: magna sibi tunc, omnem exuta laborem,
Angelicos tunc laeta choros, aciesque beatas
Sanctorum inspiciens, aeternae pacis amoena
Perpetuo felix mecum regnabit IN AVLA.*

Beatus Cœlestinus in fragmendo Epistolæ decretalis relato a Bonizone Sutriño in libro de *Sacramentis* edito ab ipso Muratorio *Antiq. Ital. differt.* XXIII. Tom. III. p. 602. *Vtque Catechumenis ad regenerationis sacramenta perductis celestis misericordia AVLA referetur.* Solent enim Poetae coelum tanquam aulam repræsentare, cum folio, et pauimento. Sidonius in Panegyrico Aucti de *Deorum concilio*:

*Ipsa pavimentum sunt sidera, iam pater aureo
Tranquillus sese folio locat.*

In notis ad Paullini carmen *aduersus gentes* (nam eius esse contendit Muratorius: negant alii: qua de re confer Andr. Grandorgaeum in catalogo operum Murator. praefixo libro de moderat. ingen. p. 22. et nouissimam editionem Paullini, quae Veronae prodiit) ad vers. 112. existimat *Sabazii* nomen folius Louis proprium esse, atque Heinßium reprehendit, quod Bacchum etiam *Sabazium* dixerit. Qua in re grauiter lapsus est. *Sabazii*, et *Louis Sabazii* nomen genericum est: et tantum abest, vt Baccho non competit, vt Bacchi sit proprium, et visitatissimum nomen. Adi, si vacat, Gerh. Io. Vossium *de orig. et progressu Idol.* Lib. II. c. 14. Tom. V. opp. p. 139. 140. Commentatores ad *Valerium Maximum* Lib. I. c. 3. n. 2. p. 41. 42. Edit. Torren. Dan. Wilh. Trillerum *Obseru.* Crit. Lib. II. c. 2. p. 77. Macrobius I. *Saturn.* 18. ibique Meurßium, et *Scriuerium* p. 201. Qui id magnis auctoritatum ponderibus docebunt: vt immerito plane vapulet eruditissimus Heinßius. Plura in Muratorium iam mihi obseruata non addo: ne in reprehendendis magnorum virorum lapsibus aut placere nobis videamur, aut longiores sumus, quam vel aetatem nostram, vel exiguum in litteris peritiam deceat.

CAPUT XVIII.

Restituta L. 10. §. 4. π. De usu, et habit. Longe longeque. Mendum ex L. 3. C. de quadr. praefcript. sublatum. Io. Sarisberiensis obiter emendatus. Africanus in L. 88. π. ad leg. Falcid. illustratus. Dialectici. Dialectici Platonici. Tortiloquium. Hahnus notatus. PAVLLVS Ios. RIEGGERVS et CAR. MARTINI VV.CC.laudati. Stephanardi summa Iuris ciuilis. GEORG.GIVLINI V. Cl. meritissimum encomium.

§. I.  *L*euia quaedam in libris Iuris Ciuilis animaduersa hoc capitulo proponam. Verba sunt Vlpiani in L. 10. §. 4. π. de usu et habitat. *Si usus fundi sit relictus, minus utique esse, quam fructum, longeque, nemo dubitat.* Mirum est, locum hunc ab ipsis recentissimis Iurisconsultorum, qui in Pandectarum textu minutias omnes ad nauseam usque confectantur, quantum mihi innotuit, non fuisse emendatum. Mendosum clamat hiatus ante vocem, *Longeque:* clamat librorum inconstantia. Editio Haloandri: *Minus utique esse, quam fructum, longeque distare nemo dubitat.* Sed τὸ distare manifesta est lacinia ad sensum fulciendum adsuta. Pessime vero Erasmus *Adag.* p. 268. hanc legem ita citat: *minus utique esse, quam usufructum, longe lateque distare nemo dubitat.* Formula enim *longe lateque* nunquam usurpatum pro valde, multum, etc. Neque hoc latinum est, sed tum quum spatium aliquod simul significatur. Res demonstrata est a Bentleio loco infra citando. Restituo sine haesitatione, et interpundo: *si usus fundi sit relictus, minus utique esse, quam fructum longe longeque, nemo dubitat.* Id est, longissime minus est in usu fundi, quam in fructu. Prius *longe a posteriori absorptum* fuit, quod in verborum geminationibus frequentissimum est. Vid. Muretum Lib. XV. *Variar.* Lect. c. 8. p. 401. Vel etiam posterius *longe secundum geminationis notissimam regulam repetendum*: nam et *integra verba* in textu Pandectarum Florentinorum repeti docuerunt Fornerius Lib. II. *Rer. Quotid.* c. 1. et 2. Leoninus L. I. *Emend.* c. 15. Bynkershoekius *Observ.* Lib.

Lib. VI. c. 6. p. 110. et Lib. VII. c. 8. p. 208. seq. ac plures alii. Qua tamen in re cautius vellem erudit I Cti procederent, neque eam regulam adeo extenderent, vt quidem a nonnullis recentiorum fieri video. *Longe longeque* elegantissima locutio est, et optimis scriptoribus usitata; de qua fuse et diligenter egit Bentleius ad Horatium I. Sat. VI. Tom. II. p. 258. eamque Horatio restituit. Quod idem in Gellio XIII. 28. praesitit Gronouius p. 626. Quin imo Iurisconsultis ipsis propria. Scaeula in L. 39. §. 1. π. de minor. *Vendentibus curatoribus minoris fundum, emitor exsistit Lucius Titius, et sex fere annis possedit, et longe longeque rem meliorem fecit.*


§. II. Mendum videtur esse in L. 3. C. de quadr. praescript. vbi Iustinianus ostendens, quam iustum sit, vt fiscus praescriptione quadriennali fruatur, ait: *Hoc videtur Imperiale esse priuilegium. Qui enim suis consiliis, siisque laboribus pro toto orbe terrarum die nocteque laborant, quare non habeant dignam sua praerogatiua fortunam? Quid vero? An Principis fortuna in quadriennali praescriptione consistit?* Puto transposita esse verba, et legendum: *quare non habeant dignam sua fortuna praerogatiua?* Hoc facile potuisse emendari ex hac ipsa lege: per fortunam enim intelligit conditionem, vt supra: *multa priuilegia angusta fortuna meruit. Praerogatiua vocat ipsum priuilegium. Supra: eodem modo, et si a serenissima Augusta aliiquid alienetur, quare non eadem utatur praerogatiua?* Frequentes huiusmodi traiectiones in codicibus esse, quis nescit? Vide Cuiacium XXV. Obs. 35. Videtur idem euensis Sarisberiensi Prologo in Polycraticum. *Sic enim, inquit, dum ineptias suas lector, vel auditor agnoscet, illud ethnicum reducit ad animum, quia mutato nomine de se fabula narratur.* — *Sic dum alias docet Seneca, suum monet Lucilium; ad Oceanum et Pammacium scribit Hieronymus, et aliorum plerunque castigat excessus.* Puto traiectam esse particulam dum, et legendum esse: *fic alias docet Seneca, dum suum monet Lucilium.* Potest etiam, quod modo succurrit, leuiori medicina legi: *Quare non habeat dignam sua praerogatiua fortuna?*

§. III. Non satis exploratum est, quos intelligat Africanus in L. 88. π. ad L. Falcid. vbi ait: *Dixi τῶν ἀπόγονων hanc quaestionem esse, qui tractatus apud DIALECTICOS τὴ ψευδοπίειρα dicitur.* Cuiacius Lib. XXVI. Observat. c. 40. Stoicos esse intelligendos putat, quod ii huiuscemodi captionum fuerint amantissimi. Aegidius vero Me-

nagius Iurisconsultus politissimus Megaricos potius Philosophos accipiendos esse censet, eo quod et ii captiosas argumentationes sectarentur, quod probat ex Plutarcho, et Laertio, *Amoenit. Iur. ciu. c. 1.* Verum enim uero cum multae Philosophorum sectae huiusmodi ιντημάτων studiose extiterint, neutra harum interpretationum admitti potest. Nam sic accipi etiam possent Dialectici Platonici, id est, Philosophi Platonici Dialecticarum collectionum consecutatores, de quibus mentio occurrit apud Gellium Lib. XVIII. c. 13. p. 879. his verbis: *Libet autem dicere, quam facete Diogenes sophisma id genus, quod supra dixi, A QVODAM DIALECTICO EX PLATONIS DIATRIBA per contumeliam propositum, remuneratus sit.* Hoc fortassis animaduertens Menagius, haec in fine capitinis adiecit: „Sed fortasse verius est, quod nunc mihi venit in mente tem, et Stoicos, et Megaricos, et quoscunque alios, qui Dialectici huiusmodi Sophismatis vtebantur, Dialecticorum nomine Africorum intellexisse „ Huic sententiae accedit I.G. Hoffmannus, vir solide doctus, in Praefatione ad Menagii *Amoenitates.* At Emundus Merillius *Obseru. Lib. I. c. 17. p. 19.* contendit, intelligendos esse illos de Stoicis, qui eam partem Dialecticae praecipue sequebantur. Ego Menagii sententiam verissimam iudico, ad quam confirmandam adferam Cebetis locum Africano illustrando apprime idoneum, in *Tabula p. 188.* Schroederiana editioni Epicteti subiecta. En verba: Τίνες δὲ καλένται ἡτοι; οἱ μέν ποιται, ἔφη, οἱ δὲ ῥάτορες, οἱ δὲ ΔΙΑΛΕΚΤΙΚΟΙ, οἱ δὲ μετικοὶ, οἱ δὲ ἀριθμητοὶ, οἱ δὲ γεωμέτραι, οἱ δὲ ἀστρολόγοι, οἱ δὲ ἴδοντοι, οἱ δὲ περιπατητοὶ, οἱ δὲ χρυτικοὶ, καὶ ὅσι οὐδεὶς τούτοις εἰσὶ παραπλήσιοι. Id est: *Quibus ergo nominibus appellantur isti?* Alii Poetae, inquit, alii Oratores, alii DIALECTICI, alii Musici, alii Arithmetici, alii Geometres, alii Astronomi, alii Voluptuarii, alii Peripatetici, alii Critici, ceterique eorum non dissimiles. Loquitur autem de his, qui falsi nominis eruditioenem consequuntur, quam a vera eruditione, id est vera Philosophia distinguit; illi nempe, quos Aulus Gellius Lib. XVII. c. 5. p. 758. Rhetoricos Sophistas, atque acutulos et minutos doctores appellat. Quorum nimurum proprii sunt verborum laquei, atque cauilli, quae Tortiloquia dicta fuisse, disco ex *Glossario Philoxeni.* Locus est p. 47. edit. Labb. Διάλεκτος συνεργαμένη, tortiloquium.

§. IV. De usu et auctoritate Iuris Romani aeo barbaro fuse actum a viris doctis, nempe respectu Galliae a Cironio *Obf. Iur. Can. L. V. c. 8.* De Germania a clarissimo, atque humanissimo Antecessore meo

meo PAVLLO IOSEPHO RIEGGERO in Programmate de Recept. Iuris Canon. in Germ. De Italia vero a V. CL. CAROLO MARTINI, Antecessore itidem meo doctissimo in Ord. Hist. Iur. Ciu. p. 247. quos ego viros praeclare de me meritos honoris causa nomino. Minus recte ergo Hahnus in differentiis Iur. Ciu. et Canon. §. 5. p. m. 427. de iure Romano pronunciauit: „hoc ius postquam in disuetudinem abiisset, tempore Lotharii Saxonis Imperatoris priori splendori restitutum est, „Sed de hac tota re nemo plenius, doctius, diligentius commentatus est prae celeberrimo Rittero, cum in notis ad Heineccii Historiam Iuris ciu. tum vero in praefatione ad Tomum secundum Codicis Theodosiani. Quin etiam nunciant ex Italia, prodisse Neapoli A. 1751. singulare hac de re opus duobus voluminibus comprehensum, quod videre nondum contigit. Ego illud tantummodo obseruabo, non solum in iudiciis Italiae ius Romanum aliquomodo viguisse, sed non desuisse etiam, qui leges Romanas compilarent, et contraherent in summas, manualia, cet. quemadmodum Graecis sua ἐγχειρίδια, βραχυλογίαι, προτειχίδια τῶν νόμων, et similia: praecipue post restauratam ab Irnerio scholam. De Stephanardo de Vicomercato Mediolanensi haec reperi apud Taëgium antiquum scriptorem in Chron. MS. ad ann. 1296. cuius quaedam verba laudat Muratorius Tom. IX. Rer. Ital. p. 59. Hic fuit in seculo honorabilis Clericus, et magnus praebendatus et doctus, qui composuit Chronicam, et summam Iuris ciuilis, et multa. Nam Mediolani praeter ius Longobardicum etiam Romanum obtinebat, vt constat ex Lib. II. Feud. Tit. I. et ex Libro consuetudinum ciuitatis Mediolanensis MS. ex quo nonnulla publicauit vir genere et doctrina spectatissimus GEORGIVS GIVLINVS in opere: Memorie spettanti alla Città di Milano Tom. VII. p. 321. Cuius quidem Viri vt insignia in communem patriam merita summopere suspicio, ita neminem fore puto antiquitatum Italicarum studiosum, qui non aeternas ipsi habiturus sit gratias ob egregium illud opus orbì litterario communicatum. Quid enim siue utilius, siue laudabilius esse potest, quam antiquitates patrias eruere, atque illustrare? Quamobrem quod reliquum est operis, ab indefessa eius industria praestolamur.



CAPUT XIX.

Auctor carminis obsceni explicatus, et ab emendatione Scriueri, et Gervarti vindicatus. Conueniens Latio supercilium. Romanus pudor. Italica seueritas. Romane dicere. Hispane dicere. Ennius exppositus. Valerius Maximus difficulti loco explicatus. Adiutor noue pro competitorre.



Apud poetam Ityphallicum Epigrammate initiali ita legitur:



*Carminis incomti lufus lecture procaces
Conueniens Latio pone supercilium.*

Mire hic locus torsit Criticos, cum non perspicerent, quomodo Latio supercilium tribuatur, et tamen latine loqui usurpent veteres pro obsceno loqui. Vid. Erasmum *Adag.* p. 33. et Turnebum Lib. XXIV. c. 5. Quapropter Scioppius ad hunc locum „ Ceterum, inquit, quo minus ea Latio conuenire hic dicatur, nullus adhuc dispicio, et aliorum esto arbitrari. „ Ea de causa Petrus Scriuerius ex coniectura corrigebat:

Conueniens Tatio pone supercilium.

Quia nimurum Tatius Sabinorum rex seuerissimis fuisse moribus legitur. Quam emendationem certissimam clamat Geuartius *Elect.* Lib. II. c. 6. p. 65, eamque pluribus adstruere fatagit. Sed falluntur profecto omnes vehementer, quicunque ita iudicant: quod suboluit iam eruditissimo Barthio Lib. XLIV. *Adu.* c. 6. p. 1997. „ Minime, inquit, „ accedo eruditissimo viro Petro Scriuerio amico nostro, qui latiari „ superculo Tatii regis hoc loco substituit, quamquam non pugnaturus „ de altero. Etsi enim lasciuissimus Poeta, non oblitus tamen est gravitatis Romanae: quam magnopere laborant omnes Graecae seueritati,

„ tati, aliquando et lasciviae opponere. Sic vetus poeta scripsit in
„ Florido:

„ *Cive Romano per orbem nemo viuit rectius,*
„ *Quippe malim unum Catonem, quam trecentos Socratas.* „

Hactenus Barthius. Et recte quidem ille de *Romana grauitate*, de qua videndus etiam Petrus Petitus *Miscell. Obsér. Lib. IV. c. 3. p. 247.* Sed est aliquid reconditoris doctrinae, quod respicit Poeta. Intelligit nimirum Romanorum in loquendo verecundiam, quam non uno veterum testimonio licet animaduertere. Diferte Fabius *Inst. Orat. Lib. VIII. c. 3. edit. Burn. pag. 693.* Sed ne inornata sunt quidem, nisi cum sunt infra rei, de qua loquendum est, dignitatem: excepto, si obscœna nudis nominibus enuntientur. Quod viderint, qui non putant esse vitanda, quia nec sit vox illa natura turpis: et si qua est rei difformitas, alia quoque adpellatione quacunque ad intellectum eundem nihilominus perueniat. Ego Romani pudoris more contentus, ut iam respondi talibus, verecundiam silentio vindicabo. Simillimus locus occurrit apud Epictetum ἐγχειρ. cap. 55. p. 71. Edit. Schroed. cuius verba latine sic sonant: *Periculum est ad orationis obscenitatem progredi: cum igitur tale quidpiam incidet; aut si feret opportunitas, obiurgabis eum, qui sermonem illum inierit: aut TACITURNITATE saltet et rubore, vultuque ostendes, eam orationem tibi displicuisse.* Quare ludicii aliquid dicturi caput pallio operiebant. Vid. Gellium Lib. XIX. c. 9. aemulati in hoc Socratis verecundiam, quam adfectauit etiam discipulus eius Plato, ut constat ex Cicerone *ad Famil. Lib. IX. ep. 22.* in fine. Porro Valerius Maximus Lib. II. c. 4. p. 151. edit. Torren. Attellani autem ab Osiris acciti sunt: quod genus delectationis Italica seueritate temperatum est. Hinc Romane dicere apud Gellium Lib. XIII. c. 20. p. 610. Haec me audiente Caſritius, et quaedam alia ad eam rem conducentia Romane et seuere dixit. Alia significacione Romane loqui dixit Ennius apud Charisium Gramm. Lib. II. fragm. p. 120.

Hispane, non Romane memoretis loqui me.

Romanæ enim, et purae locutioni opponit idiotismum Hispanicum, de quo summa cum diligentia differit Morhofius de Patau. *Litanian. c. 9. p. m. 58. seqq.* Est autem Hispanus sermo rudis, atque inconditus. Martialis *Praefat. Lib. XII. Epigramm. ad Priscum: Tu velim ista, quae tantum apud te non periclitantur, diligenter aestimare, et excutere non graueris, et quod tibi difficillimum est, de sensis nostris indices*

*dices nitore seposito, ne Romam, si ita decreueris, non Hispaniensem librum
mittamus, sed Hispanum. Id est, non tantum ex Hispania, sed Hispano
scriptum, nempe barbare, et inculte. Occurrit etiam Hispanum os
apud Gellium Lib. XIX. c. 9. p. 846. Venerat, inquit, tum nobiscum
ad eandem coenam Antonius Julianus rhetor, docendis iuuenibus magister,
hispano ore, florentisque bono facundiae. Ceterum fama haec feueri-
tatis haesit Romanis ex antitquissimis temporibus. Nam posterior ae-
tas longe solutior. Manilius Astron. Lib. V. post med.*

*Sed regione means Cepheus humentis Aquari
Non dabit in Iussum mores, facit ora severa:
Frontes, ac vultus componit pondere mentis.
Pascuntur curis, veterumque exempla reuoluent
Semper, et antiqui laudabunt verba Catonis,
Tutorisque supercilium, patruique rigorem.*

Atque haec quidem de loco Priapeiorum. Addam huic ca-
piti explendo difficilem Valerii locum, in quo frustra doctorum viro-
rum ingenia desudarunt. Verba sunt L. VII. c. 3. ext. 2. p. 651.
*Sordida Magorum dominatione oppressa Darius rex, adiutoribus eiusdem
dignitatis assumitis, pacium cum praetuli operis confortibus fecit, ut equis
insidentes, solis ortu cursum in quandam locum dirigerent, isque regno
potiretur, cuius equus in eo primus binisset. Primum pessimo exem-
plu Torrenius Geuartii conieeturam: sex adiutoribus, in textum recepit:
quaes lectio, et si Geuartius de ea operose glorietur, absurdum est. Cum
enim ultra sex non fuerint, quomodo dici potest Darius sex eorum af-
sumisse, quasi in eius potestate fuerit, octo aut decem assumere? Et
alioquin facile expediri potest vulgata lectio *κατὰ πρόληψιν*. Sed in-
gens difficultas est in verbis, adiutoribus eiusdem dignitatis. Nam aemu-
li, et aduersarii Darli fuerunt, non adiutores. Vnde Lipsius corrigie-
bat: rei adiutoribus eiusdem, omisso τῷ dignitatis, vt intelligeretur eo-
rum cum Dario conspiratio in Magos. Infeliciter profecto. Infelicius
adhuc Colerus legebat, recuperatoribus eiusdem dignitatis. Geuartius
Lib. I. Elec. I. vulgatam feruat, sed per adiutores intelligit, qui ipsi
opem tulerant in magis interficiendis, qui eiusdem erant dignitatis inter-
se, vt probat ex Iustino. Sed ordo verborum hanc interpretationem
non patitur. Quid mihi fedeat, libere enuntiabo. Adiutores eiusdem di-
gnitatis apud Valerium interpretor competitores, aemulos, ζηλωτας eius-
dem dignitatis. Subdit enim: Ceterum maxima mercedis competitori-
bus*

bus fortunae beneficium expectantibus &c. Testem quidem Valerio aequalem dare non possum: sed obseruo, posterioris aeui scriptoribus ea significatione τὸ adiutor usurpari. Monachus S. Galli in *Hist. rerum a Carolo M. gestarum Lib. I. c. 4.* Et dixit Rex: *Ita post cortinam, quae pendet ad dorjum meum, et ausculta QVANTOS ADVICTORES HONORIS ISTIVS babeas.* Erant enim multi magnates Clerici idem *Episcopum vancans ambientes, et Regina ipsa pro uno ex iis erat sollicita.* Et hac quidem in re nihil adfirmo. Illud tamen certum est, infinita prorsus proba, atque latina vocabula apud sequioris aeui scriptores existare, quae deperditis temporum iniuria tot librorum millibus frustra apud melioris notae auctores quaeras. Et obseruauit id non semel Casp. Barthius in admirando *Aduersariorum* opere. Cur mihi igitur non liceat id et de Valerio suspicari, praesertim quum totius loci sententia eam interpretationem requirere videatur?



C A P V T X X .

Charisius emendatus aliter, ac a Scaligero, Douza, et Scipione Gentili factum fuerat. E plenior littera.



*E*st Lucilii fragmentum de littera R. ex *Satyrarum* Lib. I. quo de litteris egit, quod Donatus in *Adelph.* Act. II. sc. 4. ita profert:

Irritata canes, quod homo quam plurima dicit.

Refertur idem fragmentum a Charisio Lib. I. *Grammatices* hoc modo: *Canes: Lucilius primo: irritata canes, quam homo, hoc quod Plinius dicit pro canis.* Cum vero vtrobique depravatum existat, vt primum est animaduertere, iam pridem Ios. Scaliger ita ex Charisio restituisse visus est:

Irritata canes quod, homo quam, planius dicit.

Hoc nempe sensu: cum R. sit littera canina, irritatam canem planius eam pronuntiare posse, quam hominem. Hanc Scaligeri restitucionem ambabus manibus arripuit Douza filius ad *Lucilii fragm.* p. m. 265.
 „ Ita recte, inquit ille, versum hunc constituit Ios. Scaliger. In verbis
 „ vero Charisii ineptissime nomen Plinii irrepsit: continuandus enim est
 „ versus Lucilii hoc pacto:

„ *Canes, Lucilius primo:*

„ *Irritata canes, quam homo, quod planius dicit.*

„ *Pro canis.* „

Eadem ratione Lucilii locum restituit Scipio Gentilis Lib. I. *Parergon* c. 13. p. 1286. Tom. IV. *Theſ. Iur.* Euerh. Otton. Vossius *Etymol.* p. 290. vtramque lectionem profert, sed de neutra quidquam affirmit. Quae sit mea hac de re opinio, breuiter exponam. Non puto Lucilii versum ex Charisio integrum erui posse: quam enim eius partem iudicant, ego ipsa Charisii verba esse existimo: ab eo vero hemistychi-
um

um tantum adferri. Scilicet ita Charisii locum legendum esse coniicio: *Canes. Lucilius primo: irritata canes quam homo. Hocque PLENIVS dicit p' o canis.* Litteram E pleniorum esse littera I, docent antiqui Grammatici, et Critici. Diserte Quintilianus Lib. IX. *Inst. Orat. c. 4. p. 838.* edit. Burm. *Praecipius tamen erit biatus eorum, quae cauo, aut patulo maxime ore efferuntur. E PLENIOR LITTERA EST, I ANGVSTIOR, ideoque obscurius in his vitium.* Lucilius *Satyr.* Lib. IX. p. 325.

- - - - pilum

Quo pinsō, temues I. plura haec feceri², peila

Quae iacimus, ADDES E, PEILA, VT PLENIV² FIAT.

Ciceron Lib. III. de Orat. c. 12. *Cuius tu illa lata nonnunquam imitaris – vt E. PLENISSIMVM DICAS.* Atque hoc est, quod intelligit Gellius, dum Lib. XIII. N. A. c. 20. p. 606. ita differit: *Virgilius in primo Georgicon Vrbis per I. litteram scripsit. Verba e verbis eius haec sunt:*

- - - Vrbisne iniūsere Cæsar

Terrarumque velis curam . . .

Verte enim, et muta, vt vrbes dicas, infibidius nescio quid facies, et pingius. Contra in tertio Aeneidos vrbes dixit per E litteram.

Centum vrbes habitant magnas.

Hic item muta, vt vrbis dicas, nimis exilis vox erit, et exsanguis. Huc etiam facit, quod ait Velius Longus apud Vossium I. de Art. Gramm. c. 2. antiquum sermonem plerioris soni fuisse. Vnde patet, cur canes in singulari dixerit Lucilius, non canis. Neque vero cuiquam mirum videri debet Lucilii versum non integrum adferri a Charisio, cum constet apud eruditos, veteres Grammaticos solere haud infreenter scriptorum testimonia mutilata atque truncata proferre. Obseruauit id vir doctissimus Iac. Perizonius, cuius sunt verba ex *Animaduersionibus Historicis* c. 9. p. 371. " Verum enim uero documento haec sunt, vt sunt clarissima, " quam inanis et vana saepe sit opera eorum, qui in istis Poetarum fragmentis apud Grammaticos hic illic occurrentia, verum semper, et " integrum eruere conantur sensum; imo quam periculose sunt, et aleae " plenum, eum conjecturis, et emendationibus velle assequi, quam " grammatici illi frequentissime ex classicis auctoribus verba adferant, " non integri, sed abrupti sensus, satis habentes, si eam vocem, vel " dictiōnē exhibeant lectori, ad quam probandam iis utuntur sine respectu sententiae totius loci. " Apposite plane in rem nostram.

C A P V T XXXI.

Vulgata lectio fragmenti Ciceronianii asserta. Iacobus Menardus notatus. Quid sit volubilis oratio, adcuratus inquisitum. Graecorum volubilitas. πτερόεις λόγος, volueris oratio. Iuuencius explicatus, et defensus aduersus Barthium. Suppressum vocis. Sedulus correctus. Fictum. Emendata lex 47. π. de Ritu Nupt. Foedum pro fuditate. Pafserius reprebenſus. Cicero rurſus defensus. Orationes aliis ab aliis conscriptae. Cicero bis emendatus.



Xstat apud Priscianum fragmentum ex Ciceronis oratione *pro L. Vareno*, quod Victorius Lib. XIV. *Var. Lect. c. 23. p. 217.* sic emendauit, et restituit libris MSS. auctoribus: *L. ille Septinius diceret. Etenim est ad L. Crassi eloquentiam grauis, et vehemens, et volubilis. Erucius hic nosler Antoniaſter est. Atque ita ediderunt Patricius, Sigonius, et Graeuius. At Iac. Menardus, cuius eruditos commentarios in sex priores Ciceronis orationes edidit Graeuius, in Orat. pro Sex. Roscio p. 18. postquam Victorio omnia, quae cit. loc. de Erucio differit, tacito eius nomine sublegisset, ita Ciceronis fragmentum emendat: L. ille Septimiſus diceret. Etenim est ad L. Crassi eloquentiam grauis, et vehemens. At volubilis Erucius hic nosler, et Antoniaſter est. Rationemque emendationis suaē eam dat: „ vt Septimio graue, copiosum, plenum dignitatis et maiestatis dicendi genus tribuat, quale fuit in L. Crasso: „ turpem imitationem acuti, et volubilis, quale in M. Antonio fuit, adscribat huic Erucio. „ Fallitur Menardus, dum putat, volubilem orationem vitio verti oratoribus. Nam τὸ volubile nihil aliud est, quam sermo promptus, ac torrens, qualis erat Crassi. Cicero de clar. Orat. c. 28. Appii volubilis, et paulo feruīdior erat oratio. Quin et ad laudem adhibet eod. Lib. c. 27. Canorus orator, et volubilis. Quemadmodum et Horatius Carm. Lib. IV. Od. 2. v. 5. seqq.*

Mon-

*Monte decurrentis, velut annis, imbres
 Quem super notas aluere ripas
 Feruet, immensusque ruit profundus.
 Pindarus ore
 Laurea donandus Apollinari,
 Seu per audaces nona Dithyrambos
 Verba deuoluit, numerisque fertur
 Lege solutis.*

Petronius de grandi illo carmine ab Eumolpo recitato: *cum haec Eumolpus ingenti volubilitate verborum effudisset*, i. e. magna quadam, et torrenti celeritate. Perperam viri docti verba illa: *verborum volubilitate ex textu expungunt, leguntque ex V. C. ingenti bile*. Hinc cum volubilitatem istam ultra modum affectarent Graeci oratores, proprie de iis dici coepit. Litterae Augusti apud Suetonium in eius Vita c. 86. p. 431. Tom. I. *An potius Asiaticorum oratorum inanis sententiis verborum volubilitas in nostrum sermonem transferenda*. Ita hunc locum recte constituit Burmannus. Plinius Lib. V. Epist. 20. p. 388. Respondit mibi Fonteius magnus, *vnum ex Bithynis, plurimis verbis, paucissimis rebus*. *Est plerisque Graecorum, ut illi, pro copia volubilitas: tam longas, tamque frigidas periodos uno spiritu, quasi torrente, contorquet*. Graphice Graecorum volubilitatem depingit. Hieronymus in Epistola ad Paullinum de Institutione Monachi *Sanctus Hilarius Gallicano coturno attollitur, et cum Graeciae floribus adornetur, longis interdum periodis inuoluitur*. Hoc volubile Graecorum dicendi genus VOLVCRE appellat Cicero ob celeritatem rapiditatemque in dicendo Asiaticae nationis propriam. Locus est in Libro de claris Oratoribus cap. 95. *Aliud autem genus est non tam sententiis frequentatum, quam verbis VOLVCRE ac incitatum; quale est nunc Asia tota*. Simillime Gregorius Theologus Epigrammate CXXIV. inter Muratorii Anecdota Graec. pag. 120. Gregorii Nazianzeni eloquium vocat πτερόεντα λόγον:

Τυτθόν ετι ζωσμες ἐπὶ χθον. πάντα δὲ Χριστῷ
 Δῶνας ἐκάνω. σὺν τοῖς καὶ ΠΤΕΡΟΕΝΤΑ ΛΟΓΟΝ.

Id est, Muratorio interprete:

Paullisper vixisti in terra. Omnia autem Christo
 Obtulisti, et cum his VOLVCRE ELOQVIVM,

Hinc deinde factum videtur, vt volubilitas in malam partem sumeretur. Seneca Ep. LII. p. 471. edit. Lipsi. Ex iis autem, qui sunt, eligamus non eos, qui verba magna celeritate praeceperant, et communes locos voluunt, et in priuato circulantur. Epist. XL. Audisse te scribis, Serapionem Philosophum solre magno cursu verba conuoluere, quae non effudit una, sed premit, et urget. Et Ep. CXIV. de Maecenate: videbis itaque eloquentiam ebrii hominis inuolutam, et errantem, et licentiae plenam. Gellius Lib. IX. c. 15. Incipit statim mira celeritate in eandem hanc controuerstiam principia nescio quae dicere, et inuolucra sensuum, verborumque volumina, vocumque turbas fundere. Petronius, prout a Lipsio restitutus est Lib. I. Ant. Lect. c. 8. Cum Eumolpus et ipse vino solitus dicta voluere, et in caluos, stigmosque iaculari. Quod vero Gellius laudans venustam periodum C. Gracchi ait Lib. XI. c. 3. Cursus igitur hic, et sonus rotundae, volubilisque sententiae eximie nos et uice delebat, ad genus orationis non pertinet: nihil enim aliud est, quam quod Lib. I. c. 4. vocavit: Crispum agmen orationis, rotundumque, ac modulo ipso numerorum venustum. Quemadmodum vero, vt haec tenus ostendimus, verba voluere de concitato sermone usurpatur, ita contraria plane significatione verba volutare pro timide et submisso loqui inuenio apud Iuencium veterem Poetam Christianum v. 100., cuius locum hic expendere visum est; sic enim ait de Maria nunciatori genio respondentē:

*Illa trabens animum per gaudia mixta pudore
Suppresso vocis pauitantia dicta volutat.*

Corruptissimos hos versus esse iudicat Barthius Lib. LVI. Aduers. c. 13. p. 2659. atque ita emendandos censet:

*Illa trabens animo per gaudia mixta pudorem,
Suppressae vocis pauitantia dicta volitat.*

Equidem si a tanto Viro licet dissentire, vulgatam lectionem minime follicitandam esse existimo: quis enim ita loquatur: *dicta vocis?* quid vero prohibet rectum esse: *animum trabere per gaudia?* fane non absimiliter loquitur Guilielmus Brito Lib. I. Philippidos:

*Nam rubor in vultu duplicatus prodit aperte
Quam grauis illustrem trabat indignatio mentem.*

Nec maiori nititur fundamento, quod versu secundo pro *suppresso* *vocis* corrigit *suppressae* *vocis*. Satis enim, vt puto, constat inter eruditos,

tos, solenne esse eius scriptoribus adiectua substantiue usurpare. Sic turpe, pingue pro turpitudine, pinguedine. Vide Salmasium *ad Solinum* p. 231. D. Sic incertum pro incertitudine. Vlpianus in L. I. §. II. π. de collat. *Si non constet, sed dicantur quaedam non esse in commune redatta*, tunc propter incertum *cavio erit interponenda*. Vegetius Lib. III. c. II. *ad publici conflictus incertum*. Minucius Felix *Oclau.* p. 90. edit. Ouzel. per incertum *fortis*. Saluianus Epist. IX. p. 297. per *opinionis* incertum. Vbi vide Rittershusium. Sic *fictum* pro *fictione*. Sedulius Lib. I. *Carminis Paschalis*:

*Sic sua gentiles studuerunt ficta poetae
Grandifonis pompare modis.*

Ita legendum. Vulgo editur:

Cum sua gentiles studeant figmenta Poetae.

Vbi sane absque libro nihil vitii deprehendas. Verum illud germanum, et ex faeculi illius ingenio. Emendauiimus ex vetere auctore Anonymo vitae B. Adalberonis, qui editus est inter Pezii *Scriptores Rer. Austr.* Tom. II. p. 6., qui ita, prout scripsimus, eum Sedulii locum adducit. Atque hac occasione medicinam faciemus vexatissimo loco Pauli IC. in l. 47. π. de rit. nupt. vbi ait: *nec enim bonos ei seruatur, quae se in tantum foedus deduxit.* Non repeatam hic, quae ad medicinam postremis verbis faciendam excogitarunt viri summi, Bynkershoekius, Duikerus, Heineccius, alii, quorum infelices coniecturas recenset, et refellit Trootzius V. Cl. in *Praefat.* ad Iac. Gothofredi *Opera minora* p. 27. Illud addo, neque Taurelli, neque Coftae, neque Trootzii ipsius, qui illos sequitur, sententiam, receptam lectionem tuentium, vlo modo ferri posse. Quod enim *foedus* explicat consuetudinem libidinosam, (pace dicam viri summi) nugae merae. Lego vna littera mutata: *nec enim bonos ei seruatur, quae se in tantum FOEDVM deduxit.* id est, in tantam foeditatem. Declinante latinitate, vti passim adiectua pro substantiuis usurpari coepta, sic etiam *foedium* pro *foeditate*. Augustinus *de Civitate Dei* Lib. I. c. 19. de Lucretia: *Deinde FOEDI in se commissi aegra, atque impatiens se peremit. Suppresso igitur vocis est, cum suppressione vocis. Suppressa voce dixissent aureae aetatis Scriptores.* Vid. Cic. *pro Sylla* c. 10. p. 229. Pacuvium in *fragm.* a Vossio collectis Tom. IV. Opp. p. 118. No- nium in *deductum*, Quare nihil apud Iuuencium mutandum videtur. Quod autem

autem Iuuencio *suppr. iſſo* vocis loqui, Horatio est *singultim loqui*, loco illi plane gemino Lib. I. Sat. 6. v. 57. ad Maecenatem:

*Vt veni coram, singultim pauca locutus,
Infans namque pudor prohibebat plura profari.*

Sed de eodem illo Erucio grauior adhuc est error I. Passeratii, qui in ead. Orat. pro *Rofio Amvr.* c. 29. p. 168. vbi de Erucio ait Cicero: *Quae mibi iſte viſus eſt ex alia oratione declamare, quam in alium renum commentaretur*, Pro ex alia oratione legendum existimabat ex aliena oratione, quasi tam inexpertus orator effet Erucius, vt aliena oratione ad accusandum vteretur: cum illum Cicero c. 17. p. 145. in artificio accusatorio *callidum* adpellet: et multas ab eo scriptas esse orationes illud ipsum fragmentum ex Orat. pro *L. Varenio*, et locus Augustini ad fragmenta ex Orat. Cic. a Graueilio allatus manifesto fint indicio. Ceterum non ignoro, moris fuisse, vt Oratores et Sophistae aliis orationes scriptitarent. De Lysia et Isocrate Cicero in *Bruto* c. 12. p. 579. edit. Ernesti. Nam *Lysiam* primo profiteri solitum artem esse dicendi: deinde, quod Theodorus in arte effet subtilior, in orationibus autem *ieunior*, orationes eum scribere aliis coepisse, artem removisse. Similiter Isocratem primo artem dicendi esse negavisse, scribere autem aliis solitum orationes, quibus in iudicis uterentur. Sed cum ex eo (qui quasi committeret contra legem, quo quis iudicio circumveniretur) saepe ipse in iudicium vocaretur, orationes deslitigie scribere, totumque se ad artes componendas transtulisse. Suetonius de *Ill. Gramm.* c. 3. p. 359. Tom. II. L. Aelius cognomine duplice fuit: nam et Praeconinus, quod pater eius praeconium fecerat, vocabatur, et Stilo, quod orationes nobilissimo cuique scribere solebat. Sic etiam Gellius referit Lib. XVI. c. 7. pag. 657. Varronem Commentarium εἰ σαγωνόν scripsisse ad usum Cn. Pompeii, ex quo disceret, quid facere, dicereque deberet, quum Senatum consuleret. Et Corn. Nepos in *Lysandro* c. 3. narrat: Cleonem Halicarnasseum Lysandro orationem illam scripsisse, quae summam prodictionis continebat. Id et in veteri Ecclesia usitatum: solebant enim Presbyteri doctiores homilias conscribere, quae ab Episcopis deinde recitabantur in Ecclesia. Vide Baluzium *notis ad Salvianum* p. m. 327. et Caveum *Hift. Litt.* Tom. I. p. 433. Quae ut verilima sunt, minime tamen ad Erucium applicari possunt, quippe qui, ut diximus, et oratorem egit, et orationes conscripsit. Subiiciam adhuc bina Ciceronis loca, quae medicina nostra egerre videntur. Decantatissimus est locus de suppliciis parricidarum in Orat.

pro



pro Rosc. Amer. c. 26. p. 162. Etenim quid tam est commune, quam spiritus viuis, terra mortuis, mare fluctuantibus, litus electis? Ita vivunt, dum possunt, ut ducere animam de caelo non queant: ita moriuntur, ut eorum ossa terra non tangat, et quae sequuntur. Decantatissimus, inquam, non nobis tantum, sed et veteribus, quem tamen, ut videtur, vetus macula insidet, nondum, quantum ego quidem sciam, detersa. Verba enim illa: *ut eorum ossa terra non tangat*: Cicerone dignum sensum non continent. Vedit hoc solus Hotomanus, qui corrigebat: *terram non tangant*, aliquanto meliore sententia. Sed vera lectio est: *ut eorum ossa terra non tegat*. Verbum *tegere* solenne esse et sepulchrale, fatis Puto eruditis notum esse, sexcentis enim locis apud auctores, et in inscriptionibus occurrit: quae si adferre vellem, dies me deficeret. Num alterumque adscribam ex infinitis. Epigramma vetus apud Briffonium *de Formulis* p. 79.

*Te tellus, sanctosque precor pro coniuge manes;
Vos ite placidi, tu levis ossa tegas.*

Propertius cum saepe, tum Lib. II. Eleg. 26. v. 43.

*Certe iisdem nudi pariter iactabimur oris:
Me licet unda ferat: te modo terra tegat:*

Valer. Maxim. Lib. VI. c. 1.p. 532. de Hippone: *Cujus corpus Eritraeo littori appulsum proxima undis burrus sepulturae mandatum ad hoc tempus tumulo contegit*. Sed et ita legisse videtur Quintilianus. Is enim Declam. CCXCIX. pag. 557. hunc Ciceronis locum imitatus sic ait: *Sepulti ergo essent et aeterna quiete conditi iacuissent parricidae. Manes iuxta patris latus, ut quod Diis, hominibusque videatur indignum, tumulo testus videretur, cui leges terram negant*. Ex his patet falli Justum Zizeltingium Crit. Juve... c. 41. p. 122. dum apud Ovid. III. ex Pont. 9. vbi legitur;

*Atque ita DI mites minuant mibi Caesaris iram,
Ossaque pacata nostra tegantur humo,*

Iusti Obs. Crit.

K

cor-

corrigit ex V. C. destituantur humo. Nam alterum solenne est hac in re , atque receptum. Ex eiusdem Orationis parte deperdita hoc fragmentum seruavit scholiastes in eandem , qui Volcatius Se- ius audit, p. 45. In vico Pallacrine Scribendum Phalacrine. vid. Sueton. Vespa. c. 2. p. 217. Tom. II. ibique interpretes. Hinc vero patet recte apud Suetonium Phalacrine graeca inflexione excusum esse, et falli Graevium, Guietum, et Burmannum legentes Phalacrinac in dandi casu.



CA.

C A P V T XXIII.

Calpurnius emendatus. *Julii Obsequentis vulgata lectio defensa aduersus Freinshemium, Schefferum, Heinsum, Oudendorpium. Togae pro Togatis. Phaedri locus ex Philemone expressus. A Trillero discessum. Eiusdem grauis lapsus. Lucani admiratores reprobensi. Virgiliius ex Niceta illustratus. μυλοσολεῖν. Amores ridentes effingebantur.*



Scripтор Eclogarum haud inelegans Calpurnius assiduus est Virgilii imitator: interdum etiam Tibulli, ut pluribus exemplis doceri posset. In eius *Ecloga VI.* v. 89. ita legitur in omnibus editionibus :

*Quid furitis? quae vos insania tendere iussit?
Si vicibus certare placet? sed non ego vobis
Arbiter; hoc alius possit discernere judex.*

Locum hunc, ni fallor, leve occupat mendum, quod inobservatum viris doctis minus aptam interpretationem exculpavit. Titius enim illud :

Si vicibus certare placet:

Per aposiopesis accipit, hoc modo: „ si placet invicem cantu certare, ego ero inter vos arbiter: statim sequitur correctio sui: „ sed non ego vobis arbiter. „ Ast ego puto excidisse litteram, qua reuocata sensum habebimus clarissimum, & elegantissimum: si nempe legas :

*Quid furitis? quae vos insania tendere iussit?
Sic vicibus certare placet? sed non ego vobis
Arbiter, hoc alius possit discernere judex.*

Si pro sic solennis librariorum error : conf. Salmasium ad Solitum p. 231. Barthium Adu. p. 1780. Observ. Miscell. Vol. I. Tom. II. p. 292. Hoc autem dicit Mnafylus iudex : itane , cum ad cunctum , vicibusque certandum huc aduenieritis, ad iurgia , et rixas delabimini ? Hoc pacto non ego vobis arbiter: alium vobis querite. Aljudit ad id , quod paucos ante versus dixerat :

*Nunc mibi seposita reddantur carmina lite;
Nam vicibus teneros malum cantetis amores.*

Addam huic capiti explendo etiam alia , nullo servato ordine, eo , quo se offerunt, modo. Julius Obsequens in libro de Prodig. c. 77.p.71. edit. Oudend. *Supplicatio habita, quod Romae multis locis species togarum visae adpropinquatum oculos eludebant.* Viri celeberrimi Freinshemius , Schefferus , Heinfius , atque Oudendorpius communis consensu vocem togarum pro corrupta habent, et legunt togatorum. At ego vulgatam omnino rectam puto. Scilicet non animaduerterunt togas dici pro togatis. Paullinus ecce scriptor eruditus , et elegans in Natalibus :

*Apronianum Turciae gentis decus ,
Aetate puerum , sensibus carnis senem ,
Veteri TOGARUM nobilem prosapia.*

Non longe abludit Martialis Lib. VII. Epigramm. 71.
*Perpetui munquam moritura volumina Sill
Qui legis , et Latia carmina digna toga.*

Elegantissima , et mira quadam suavitate aspersa est Phaedri Fabula VIII. Libri III. quae egregia hac sententia clauditur:

*Quotidie , inquit , speculo vos vti volo :
Tu formam ne corrumpas nequitiae malis :
Tu faciem ut istam moribus vincas bonis.*

Dicit haec pater ad filium formosum , et filiam turpem. Postremus versus, qui ad filiam spectat, expressus esse videtur ex Philomene , cuius haec leguntur in Μενάρδος καὶ Φιλισίωνος συγχρίσει a Rutgerio edita IV. Var. Lect. 12. vers. 176.

Σαπραν

Σαπρὸν γυναικα ὁ τρόπος εὐμορφον ποιεῖ.
Πολὺ διαφέρει σεμνότης ἐυμορφίας.

id est Rutgerfio interprete.

*Turpi ore mulier moribus formosa fit.
Gravitate morum forma longe vincitur.*

Minime autem accedo viro eruditissimo Dan. Wilh. Trillero, qui Lib. III. *Observat. Crit.* cap. 2. p. 279. longa oratione pro *vincas* in allato Phaedri loco conatur reponere *pingas*. *Illud enim durum, et minus appositum esse pronunciat.* Quod mihi non videtur, nihilque punto vulgata lectione simplicius aut expeditius. Idem vir doctus grauius errat, quando earundem *Observationum* Lib. IV. c. 8. p. 339. *Lucanum Poetarum summum appellat.* Quod nescio quibus furiis agitatus affirmaverit. Sed apparet eum in ea fuisse haeresi, qua olim laborasse Brebovium refert Huetius in *Commentario de rebus ad se pertinentibus* Lib. I. p. 10. „At ferre profecto non poteram (inquit ille) aequo animo, „cum fordere illi agnoscerem despectum Virgilium, eique, ac ceteris „quoque omnibus antiquis poetis Lucanum anteferri. Cuiusmodi delirio laborantem vidimus deinde Petrum Cornelium comicorum Gallicorum principem. Sic quoque Franciscum Malherbam accepimus, nullo lyricorum gentis nostrae secundum, ad Statii clangorem, et crepitacula insaniisse. Adeo verum est (subiungit doctissimus Praeful) quod faepe alias expertus sum, rariores esse fanos bonorum poematum aestimatores, quam bonos eorundem artifices „ Haec tenus Huetius. Nimis etiam Lucano tribuere videtur Ianus Rutgersius politissimi ingenii criticus, dum Lib. I. *Var. Lect.* c. 2. p. 53. eum *optimum Poetam* appellat; quibus verbis si alii omnibus ipsum praferre voluit, sine dubio hallucinatur: quamvis non me fugiant, quae Palmerius pro *Lucano* scripsit. Claudam hanc saturam loco Virgilii Eclog. III.

*Malo me Galathea petit, laetina puella,
Et fugit ad salices, et se cupit ante videri.*

Recte viri docti hunc locum explicarunt ex illis scholiastae Ariophanaei: Μαλοβολεῖν ἔλεγον τὸ εἰς ἀφροδίσια δελεάζειν. ἐπεὶ καὶ τὸ μῆλον ἀφροδίτης ἐστιν ἴσρόν. Confirmat id Eriphus vetus poeta apud Athenaeum, qui refert, ipsam Venerem *mala punica* in insula Cypro plantasse, uti adnotavit Meursius in *Cypr. Libr.* II. c. 4. pag. 89. Sed insignis est hanc in rem


SPECIMEN OBSERVATIONVM

Nicetae locus, quem praeterire nequeo. Nam describens superbissimum vetustatis monumentum marmoreum, quod Constantinopoli in foro Constantini extabat, narrat inter cetera, sculptos etiam ibi amores fuisse, malis se inuicem petentes, lasciuque iocantes. Verba Nicetae sunt in fragmento eius ἀνεδότῳ edito a Fabricio Bibl. Graec. Tom. VI. pag. 407. οἱ δὲ ἔρωτες σύνδυο καὶ σύντρεις ἀλλήλοις ἀνθοπλιζόμενοι, γυμνοὶ περιβλημάτων ἘΒΑΛΛΟΝΤΟ ΜΗΔΟΙΣ ΚΑΙ ἘΒΑΛΛΟΝ, γλυκεῖ περιβραστούμενοι γένωτι. Jam amores bini ternique nudi ab indumentis, qui certabant inuicem, malisque petebant ac petebantur, et dulci conviciebantur risu. Et quod ait Nicetas de risu, notandum. Solebant enim amores ridentes fingi. Ita amoris statua describitur a Pallada L. IV. Antholog. c. 12. p. 699 edit. Lubin.

Γυμνὸς ἔρως δίὰ τέτο ΓΕΛΑ, καὶ μειλικὸς ἔξιν.

Nudus amor, et ob hoc ridet, et gratiosus est.

Plura huc non congero, memini enim me specimen dare.



CA.

C A P V T XXIII.

Quatuor doctorum Virorum in historia Juris litteraria errores notati. JANUS
CASPERIUS V. Cl. laudatus.

§. I. **S**criptor vitae Josephi Aueranii Tomo III. Interpretationum Juris subnexæ in editione Batava sic ait:
 „Verum uti non quaelibet terra quaslibet, ut ait ille, herbas alit; ita et Italia artium fere omnium
 „parens et altrix, iuris prudentiam quanquam
 „denuo protulerat, tamen Galliae quasi nutriendam, ornandamque
 „concessit: atque pauci quidem deinde, si eorum memoria repetatur,
 „in Italia sunt inventi, qui sibi nominis quoddam decus in Jurisprudentia
 „peperissent. „ Si contentus fuisset Biographus affirmare maiora esse
 Gallorum, quam Italorum in iurisprudentia merita, profecto non solum
 me non habuisset dissentientem, sed, ut meus est mos, ingenue acceden-
 tem. At quod addit, paucos ab Alciati temporibus in Italia repertos,
 qui sibi nominis quoddam decus in iurisprudentia pepererint, ferri nullo
 modo potest. Quoniam vero, quae a me de hoc argumento dici pos-
 sent, invidiam aliquam ex loquentis persona contraherent, remitto Bio-
 graphum ad Albericum Gentilem Dial. I. de Juris Interpretibus p. 544.
 545. et in primis Franc. Ottomem Menkenium in longa Epistola ad Aure-
 lium de Januario virum clarissimum, & iurisconsultissimum, editioni
 Lipsiensi Reipublicae Jurisconsultorum praefixa; atque ipsum insuper ex-
 oro, ut ad nobilissimas Italiae partes, Neapolim, atque Hetruriam
 oculos conuertat, ac postea secum ipse reputet, utrum satis aequum de
 Italorum in Juris prudentia conatibus iudicium tulerit.

§. II. Alexandro de Alexandro ICto Neapolitano, et de eius diebus
 genialibus Boeklerus Vir doctus Bibliographiae criticae c. 27. §. 3. p. 447.
 „ Opus alias satis eruditum, & a varietate rerum, quas continet, com-
 men-


„ mendandum. Interim tamen non ubique accuratum est, aut ita expolitum,
 „ ut ei per omnia fides haberi possit. „ Fallitur Boeklerus. Obtinuit haec
 suspicio antequam Tiraquellus commentarium suum ederet, omniaque
 certis auctoritatibus firmaret. Suspicionis causa mos scriptorum eius tem-
 poris, sine testimonis, imo fictis, commentitiis auctoritatibus pro-
 lubidine scribendi, vt de Natali Comite, atque Ludovico Coelio Rhodi-
 gino eruditis notum est. Ast post Tiraquelli scholia nemo Alexandrum
 falsi suspectum habuit. Guido Panzirollus Lib. II. *de clar. Leg. Interpr.*
 cap. 122. p. 219. de eo scribit in hunc modum: „ *Genialium dierum*
 „ *libros sex admodum eruditos, et antiquitatibus refertos post se reli-*
 „ *quit.* Quandoque suspectus fuit, quod fide careant, quae adducit.
 „ Verum Andreas Tiraquellus luculento commentario opus illustravit,
 „ ac veris auctoribus comprobavit. „ Quod etiam, antequam in Pan-
 zirollum incidisset, monuerat me in familiaribus, quae mecum agitare
 non dignatur, colloquiis vir praestantissimus **JANUS CASPERINUS**, cuius
 ego viri vti singularem doctrinam suspicio atque veneror, ita humanitati
 et propensae in me voluntati plurimum debere gratius profiteor, et dum
 spiritus hos reget artus, profitebor.

§. III. Auctor Historiae de **Emundo Merillio et ejus scriptis**, pre-
 missae editioni Vindobonensi Anni MDCCLXI. *Observationum Merilli,*
 super **Francisco Ramos del Manzano** iurisconsulto Hispano hallucinatus esse
 videtur. Agens enim de praecocibus iurisconsultis ait: „ simile pre-
 cocis ingenii specimen Hispani exhibent in **D. Francisco Ramos**, qui an-
 nos natus duodeviginti Salamanticae cathedralm iuris iure petitam
 cum laude assecutus est. „ Atqui Franc. Ramos decimo octavo aeta-
 tis anno iuris quidem scientia inclaruit, sed petitam cathedralm, contra
 ac dictus auctor existimavit, non obtinuit, sed eius loco honorificentissimas
 a Castellae senatu litteras. Testem hac in re produco locupletem **ICtum**
 doctissimum **GREGORIUM MAJANSIUM**, in eadem Salmanticensi Aca-
 demia Antecessorem clarissimum, qui in epistola ad Emanuelem Mar-
 tinum, quae est XIII. Lib. I. Epistolarum eiusdem p. 33. inter Martini
 vero Epistolas Tom. II. p. 187. postquam plures praecoces **ICtos** no-
 minasset, subdit. „ Centum anni complentur, ex quo **Franciscus Ra-**
 mos del Manzano in ipsa hac urbe prodiit octodecennis candidatus in
 proscenium petendae primariae cathedralae; quam si non obtinuit, me-
 ruit tamen accipere a regio Castellae senatu honorificentissimas litte-
 ras ipsa impetracione cathedralae multo glorioiores „ De hoc Fran-
 cisco Ramos illud animadversione dignum est, **Ci. Heineccium** in **Comm.**

ad

ad Legem Papiam, ubi omnes, quicunque ante eum de ea lege scripsérunt, commemorat, atque excutit, ne verbum quidem fecisse de amplis illius scriptoris ad eam legem commentariis, qui Madriti A. 1678. in folio prodierunt. Vir doctus Chr. Henr. Trootzius in Praef. ad Iac. Gothofredi *Opera minora* p. 25. nullus dubitat praeclarum hocce opus Heineccii notitiam fugisse eo, quod rarius sit, et exciderit fere memoria hominum. Verum hac ratione excusari nequit Heineccius: reperio enim hunc ipsum Francisci Ramos tractatum ab eo citatum, atque commentatum in Praef. ad I. Perizonii *Dissertationes* circa finem.

§. IV. Io. Guilielmus Hoffmannus in Praefat. ad *Menagii Amoenitates Iuris ciuilis* a se editas Francof. et Lipsae 1738. agens de Menagii plagiis, ait p. si numeres, XI. „ Sed quod de carminibus, idem ipsi „ de Iuris amoenitatibus obiectum esse, vel obiici potuisse, praeter Schurz- „ fleischium, nescio an quisquam dixerit. „ Sed latuit Hoffmannum, id Menagio obiectum fuisse a Morhofio, ad cuius Polyhistora Tom. I. p. 929. sic notat Mollerus: „ Aegidium Menagium in *Commentario in Diogenem Laertium* Ioannis Ionissi Lib. IV. de Script. Hist. Philos. In amoenitatibus „ Iuris Ciuilis autem Lutetiae A. 1664. in 8^{vo} editis, Scipionis Gentilis „ Libros II. Parergorum ad Pandectas strenue compilasse, Morhofius in „ Praelectionibus Polyhistoricis MSS. obseruat. „ An vero hoc ita fe habeat, non vacat inquirere.



C A P V T XXIV.

Cornelius Fronto post Iustum Rycquium emendatus. Piaculum. Ablutio
trina, septenaria.



Quid sit *delubrum*, et vnde dicatur, mirifice veteres dissentient. Quorum sententias vide, si vacat, apud Colerum *in Parerg. ad Pand. c. 2. Tom. I. Thes. Iuris.* A deluendo dictum existimat inter alios Cornelius Fronto grammaticus percelebris his verbis: *Delubrum, in quo homines pericula sua dihant.* Primum *dihant* non *dihant* lego cum Vossio *Etymol.* p. 207. cuius rei rationem ab ipso petas licet. Sed hoc leue. Vir doctissimus Iustus Rycquius *in commentario de Capitolio Rom. c. 37. p. 135.* non abs re suspicatur, mendum esse in voce: *pericula*, quare eius loco *peccata* reponendum esse coniicit. Optime hercle quoad sensum, pessime vero quoad scripturam. Quae enim, quaeso harum vocum adfinitas? scribo: *delubrum, in quo homines piacula sua deluant.* *Piaculum* idem, ac peccatum. Vid. Vossium *Etymol.* p. 456. Ita accepit Minucius Felix *in Octau.* p. 71. seqq. de Christianis: *Qui de ultima faece collectis imperitioribus poplебem profanae coniurationis instituunt, quae nocturnis congregationibus, et ieuniis solemnibus, et inhumanis cibis, non sacro quodam, sed piaculo foederantur.* Passim vero in codd. *periculum pro piaculo irrepit.* Vid. Heins. *Ad Ouid. Met. XV. p. 55.* Burmann. *ad II. Met. 565. et ad Phaedr. IV. c. 25.* Sclera veteribus aqua tum fluuiatili, tum vero marina expari credita, notum est: estque id fuse, et erudite pertractatum a Io. Antonio Vulpio V. Cl. *ad Catull. Carm. LXXXVI. p. 496.* Lud. Ant. Murratorio notis *ad Tertullianum de oratione c. 13. Tom. III. Anecd.* p. 26. 27. et laudato iam Rycquo *de Capitol. c. 37. p. 137.* in qua expiacione etiam multis aliis remedii vtebantur. Dyctis Cretensis Lib. VI. c. 4. *Mnestheus liberatum Orestem a parricidii criminе, purgatumque more pa-*
tria

trio cunctis remediis, quae ad oblinionem huiusmodi facinoris adhiberi solita erant. Vbi Daceria legebat: ad ablutionem, sed nihil mutandum esse docuit clariss. Wopkenius in obseru. nou. miscel. Tom. II. p. 99. Praecipua tamen solemnitas erat ablutio. Hinc est, quod portenta atque prodigia in mare vel flumen proiicerentur. Confer eundem Vulpium ad Tibullum p. 196. et Iac. Menardum ad Cic. pro Rofcio Amer. p. 23. Haecque est ratio, cur androgyni in mare proiecti legantur apud Obsequentem c. 81. 92. et 94. ad quem tamen p. 76. immerito hac in re haeret praestantissimus Schefferus. Id vero mirum non videtur, si consideretur mare pro sacro habitum fuisse. Fontes item, et fluuii sacri. Virgilius IV. Georg. 319.

Tristis ad extremi sacrum caput exstigit amnis.

Horatius ode prima:

ad aquae lene caput sacrae.

Vbi Scholia fest Crucquii: *Omnis enim fons in origine sacer est. Quod et pluribus ex graecis, latinisque auctoribus docuit Barthius in Aduersariis in locis, nempe Lib. XXXIII. c. 16. p. 1533. Lib. XXXV. c. 2. p. 1589. Lib. LIX. c. 4. p. 2776. quem non describo. Imo fluuii pro Diis culti, praecipue Persis: vt ostendit I. Frid. Gronouius Observ. Lib. IV. c. 10. p. 638. seqq. Hinc quidam fluuii caeremoniis sacri. De Belli anni Plinius Hist. nat. Lib. XXXVI. Sect. 65. p. 757 Tom. II. edit. Hard. Pars est Syriae, quae Phoenice vocatur, finitima Iudeae, intra montis Carmeli radices paludem habens, quae vocatur Cendeuia. Ex ea creditur nasci Belus amnis, quinque M. passuum spatio in mare profuens iuxta Ptolemaidem Coloniam. Lentus hic currit, insalubri potu, sed caeremoniis facer, limosus, vado profundus. Porro non solum scelerata aqua fluuiatili expiabantur, sed etiam alia. Nam veteres aures obscoenis dictis inquinatas ac profanatas tanquam ex adhaerente impuritate lympha fluuiatili expiare, atque lustrare confueuerunt: qui mos pulchre offeruatus Iano Gebhardo Lib. I. Crepund. c. 9. p. 29. Sic et infesta omnia atque somnia fluuiatili aqua expiabantur. Statius Thebaidos Lib. VII. de Athalanta Parthenopaei matre, quae mortem filii in somnis praeuiderat:*

*Tristibus interea sonni turbata figuris
Torva sagittiferi mater Tegeatis ephebi*

L 2

Crine



*Crine dato passim, plantisque ex more solutis
Ante diem gelidas ibat Ladonis ad undas
Purgatura malum fluuiu viuente soporem.*

Idque trina capitinis immersione fiebat. Ibidem:

Ergo ut in amne nefas merso ter crine piauit,

*Neque vero trina tantum ablutio, verum interdum septenaria in
vsu, iis praesertim, qui Pithagorae scitis essent addicti. Id reperi apud
Apuleium Lib. XI. Metam. p. m. 241. in hunc modum: *Confelestique
discussa pigra quiete alacer exsurgo, meque protinus purificandi studio mari-
no lauacro trado, septiesque submerfo fluctibus capite, quod eum nume-
rum religionibus aptissimum diuinus ille Pythagoras prodidit. Nota res
de septenario Pythagorico. De quo Gellius, Macrobius, Rhodiginus, Hi-
storiae philosophicae scriptores, et quis non?**



C A P V T XXV.

Suetonii locus illustratus. Notatum singulare quorundam principum ingenium, Philippi Macedonis, Caligulae, Neronis. Rex. Sulpitiae Satira emendata. Afinus, Capra, Hircus, Vrsus inter conuicia. A Barthio discessum. Isidori Glossae insigni loco restitutae. Reine-
sius sepositus. Λαστις. διστος. Dafus. Trillerus V. Cl. laudatus.

Singulari animaduersione dignum est principum quorundam virorum ingenium, qui nullo modo ferre poterant, imo acriter vindicabant, si mentio cuiusque rei apud ipsos fieret, qua in memoriam alicuius dedecoris reuocarentur. De Caio Caligula diligentissimus omnium, quotquot legi, βιογράφων Suetonius in eius Caesaris vita cap. 50. p. 693. edit. Burman. scribit in hunc modum: *Statura fuit emineni, pallido colore, corpore enormi, gracilitate maxima cervicis, et crurum, oculis, et temporibus concavis, fronte lata et torua, capillo raro, ac circa verticem nullo, hirsutus cetera. Quare transeunte eo prospicere ex superiori parte, aut omnino quacunque de causa caprā nominare, criminosum, et exitiabile habebatur.* Hunc locum valde notabilem enarrare nobis neglexerunt viri docti. At enim uero pulchre hoc illustrat Demetrius Phalereus in libro περὶ ἐργασίας, vbi de figurata oratione agit: si tamen is liber Demetrium auctorem habet, et non potius Dionysium Halicarnasseum, ut visum Politiano, Valegio, Menagio, aliis: aut Demetrium Alexandrinum rhetorem, quae nonnullorum est sententia, adprobante Fabricio Biblioth. graec. Lib. IV. c. 31. et Petr. Burmanno in notis ad Henrici Valefii de Critica Lib. I. c. 8. p. 156. Is igitur narrat, nefas fuisse coram Philippo Macedone Cyclopem, aut oculum nominare, eo quod ipse luscus esset. Idem perhibet Hermiam Atarreorum principem aegre admodum tulisse, si quis cultri aut sectionis mentionem injecisset, erat enim ipse eunuchus. Tiberius autem Nero Dorici Dia-

lecti mentionem auersabatur, quod Dorice loquerentur Rhodus incolae, vbi ipse diu exul commoratus fuerat. Auctor Suetonius in eius vita, c. 56. p. 569. Zenonem, inquit, quemdam exquisitus sermocinantem, quem interrogasset, quaenam illa tam molesta dialectos esset, et ille respondisset: Doridem, relegavit Cinaram, existimans exprobratum sibi veterem sevissimum, quod Dorice Rhodii loquerentur. Idem Nero regis nomen sive in comoediis, sive aliis scriptis ferre non poterat, suspicatus se sub illo nomine traduci. Suetonius iterum in vita Persii p. 412. Eius versus in Neronem cum ita se haberet:

Auriculas asini Mida rex habet,

In bunc modum a Cornuto ipso tantummodo est emendatus:
